S. etiam Stephanus dum à Judæis lapidaretur, poſitis genibus clamavit voce magna dicens, Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, poſtquam invocaſſet, & dixiſſet. Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Imitatus Chriſtum magiſtrum ſuum in cruce orantem, ut notavit *S. Auguſt. ſerm. 93. de diverſ.* Quæ ſanè verba plena erant ſingularis cujuſdam in Chriſtum fiduciæ: item ſummæ erga homines miſericordiæ, quod nollet à Deo imputari illis impietatem, quam contra ſe exercebant. Sic eſſe oportuit primum Chriſti martyrem ait *Cyprian. lib. de bono patient.* qui Martyres ſecuturos glorioſa morte præcurrens, non tantùm Dominicæ Paſſionis eſſet prædicator, ſed & patientiſſimæ lenitatis imitator. Unde Auguſtin. ſupra, exiſtimat probabile, Stephanum, Chriſto crucifixo, & pro crucifixoribus oranti adfuiſſe. *Actor. cap. 7.*

Historica.

D. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus vir intrepidus, & Martino ſimilis, amico viſitanti eum in poſtremo morbo, & promittenti bonam valetudinem, & celerem, nihilque eſſe periculi, non deliberans, vita ſibi & ovibus commodior vita foret; Fiat reſpondit, voluntas Dei: & ſtatim divino quodam ſpiritu illuſtratus, Dies, ait, annorum noſtrorum ſeptuaginta, quaſi ſummam vitæ diem præcinens, cùm jam ſeptuagenarius eſſet. Sacro itaque Euchariſtiæ, & morbo ingraveſcente extremæ unctionis clypeo munitus integram illam peccatorum condonationem, quam indulgentiam vocamus, liberalitate Pontificis acceptam, ſibi legi, ac impendi poſtulavit. Deinde verba illa; Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio, frequenter iterabat. Et cùm fratres adſtantes pſalterium percurrerent, & ad verſum pſalmi vigeſimi quarti, Oculi mei ſemper ad Dominum, perveniſſent: ille tunc ſublatis in cœlum oculis, ac manibus eadem verba repetens: Oculi mei, ait, ſemper ad Dominum; quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Tum poſtremum pſalmum: Laudate Dominum de cœlis, &c. videbatur iterare: quo in omni vitæ curſu, ut cœnobitæ aſſerebant, oblectari ſolebat. Si quid à pſallendo ceſſaſſet complexus crucifixi effigiem, quam fratres obtulerant, tanto ardore oſculabatur, ut qui aderant non poſſent à lachrymis temperare. *Vincent. Minardus in vita apud Sur. 2. Maii tom. 3.*

D. Eligius Epiſcopus Noviomenſis in extremis poſitus, oſculatus eſt diſcipulos ſuos, & per ſingulos plorans: Jam non ultra, inquit, loquar vobiſcum. Valete jam in pace, & me deinceps ſinite quieſcere. Redeat terra in terram. Tum ille oculis, manibuſque in cœlum erectis, diù mente precabatur. Deinde in vocem prorumpens: Nunc dimittis, inquit, ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me: & non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Memento mei, qui ſolus ſine peccato es, Chriſte mundi Redemptor, & educens me de morte corporis hujus, ſalvum me fac in regnum tuum cœleſte: Tu ſemper fuiſti protector meus: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Scio me non mereri conſpectum tuum: tamen tu ſcis, quia ſemper ſpes mea fuit in miſericordia tua, & fides mea in tua credulitate permanſit. Et nunc quoque in confeſſione ſancti nominis tui moriens, extremum, Chriſte, anhelitum efflabo. Suſcipe ergo me ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti januam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi, ne conturbent me poteſtates aeris hujus: ſed clemens dextera tua protegat me, & tua potentia me defendat, manuſque tua deducat me in locum refrigerii, & vel in ultimam manſionem ex iis, quas præparaſti ſervis tuis timentibus te. Sub his verbis reddidit ſpiritum. *B. Audoen. Rotb. Ep. in vita ejus l. 2. c. 34. apud Sur. 1. Dec. t. 6.*

De Gerardo fratre ſuo teſtatur D. Bernardus, quod media nocte moribundus in illam ex pſalmo vocem eruperit: Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Jam tibi, inquit, frater mi, nocte adhuc media dieſcebat, nox ſicut dies illuminabitur. Accitus ſum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem inſultantem morti. Ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? jam non eſt ſtimulus, ſed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantant. *D. Bern. ſerm. 26. in Cantica.*

S. Franciſcus Aſſiſias cùm graviſſimis arderet totius corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat eorum dolorum, quàm ut & ipſe divinas laudes caneret, & alios canentes audiret. In quo cùm ab Helia penè objurgaretur, quod potiùs præſtaret extremum illud tempus lachrymis, & pœnitentiæ impendere, reſpondit? Non licere ſibi aliter facere, cùm ſciret ſe brevi cum Deo fore. *Ex D. Bonav. in vita ejus.*

B. Antonius de Padua ſentiens corporis ſui diſſolutionem imminere, increſcente paulatim ægritudine, ad extrema feſtinans, ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, hymnum illum de B. Maria: O Glorioſa Domina, excelſa ſuper ſidera, &c. canere cœpit. Deinde ſublatis oculis, aliquamdiu ſurſum diligentiſſimè intentos eos tenuit. Cùm autem interrogaretur, ecquidnam ita aſpiceret, reſpondit: Video Dominum meum. Sic feliciſſimè obdormivit in Domino, anno à Chriſti Incarnatione 1231. *In vita ejus cap. 37. apud Sur. 13. Jun. tom. 3.*

* Mors prænuntiata.
Ex S. Scriptura.

Cùm Claudius Imp. quintum imperaret annum, immaculata Dei Verbi Mater ſexageſimum agens annum mortem oppetitura, nuncium à filio per Angelum de migratione, & adventu ad ſe ejus, ita ut antea cùm ipſe ad eam venturus fuerat, accipit. *Niceph. lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 21.*

Simon juſtus oraculum acceperat à Spiritu ſancto, non priùs ſe moriturum, quàm Salvatorem Chriſtum Dominum vidiſſet. Eum igitur à Maria matre in templo oblatum ulnis excepit, & præclarum illum hymnum, Nunc dimittis, &c. cecinit. *Luc. c. 2.*

Historica.

Cùm quodam die Beatus Didymus de vita miſeri Juliani Imperatoris utpote perſecutoris, ſollicitus eſſet, & animo angeretur; accidit, ut propter hanc ſollicitudinem ad veſperam uſque ſeram nihil comederet, & cùm in ſedili ſederet, ſomno oppreſſus vidit in extaſi equos albos, cum inceſſoribus percurrentes, & annunciantes: Dicite Didymo: hodie hora ſeptima mortuus eſt Julianus: Surge ergo, & comede, & quod tu ſcis, domum mitte ad Epiſcopum Athanaſium, ut ille quoque hoc ſciat. Notavit autem & horam, & diem, & hebdomadam, & menſem, & ſic invenit: *Pallad. in hiſtor. Lauſ. cap. 4.*

Erat quidam Presbyter, & eremita, vitæ, & morum probitate venerabilis nomine Herebertus, qui juxta Inſulam ſtagni vitam ducens ſolitariam, annis ſingulis Cudbertum Epiſcopum viſitare, & monita perpetuæ ab eo ſalutis audire ſolebat. Hic cùm audiret eum ad civitatem Lugubaliam deveniſſe, venit ex more cupiens ſalutaribus ejus exhortationibus ad ſuperna deſideria magis magiſque accendi. Qui dum ſeſe alterutrum cœleſtis vitæ poculis inebriarent, dixit inter alia antiſtes: Memēto, frater Hereberte, ut modò quidquid opus habes me interroges, mecumque loquaris: poſtquam enim ab invicem digreſſi fuerimus, nō ultra nos in ſeculo carnis obtutibus invicem aſpiciemus. Certus ſum namq; quia tempus meę reſolutionis inſtat, & velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, provolutus eſt ejus veſtigiis, & fuſis cum gemitu lachrymis: Obſecro (inquit) per Dominum, ne me deſeras: ſed tui memor ſis fideliſſimi ſodalis, rogeſque ſupernam pietatem, ut cui ſimul in terris ſervivimus, ad ejus videndam gratiam ſimul tranſeamus ad cœlos. Noſti enim, quia ad tui oris imperium ſemper vivere ſtudui, & quidquid ignorantia, vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis examen mox emendare curavi. Incubuit precibus Antiſtes; ſtatimque edoctus in ſpiritu impetraſſe ſe quod petebat à Domino: Surge, inquit, frater mi, & noli plorare, ſed gaudio gaude, quia quod rogavimus, ſuperna nobis clementia donavit. Cujus promiſſi, & prophetiæ veritatem ſequens rerum aſtruxit eventus, quia & digredientes ab invicem non ſe ultra corporaliter viderunt; ſub uno eodemque die, hoc eſt Kalend. April. tertia decima egredientes è corpore ſpiritus eorum, mox beata invicem viſione conjuncti ſunt, atque Angelico miniſterio pariter ad regnum cœleſte translati. Sed Herebertus diutina prius infirmitate decoquitur, illa, ut credibile eſt, diſpenſatione Dominicæ pietatis, ut ſi quid minus haberet meriti à Beato Cudberto, ſuppleret hoc caſtigans longæ ægritudinis dolor, quatenus ęquatus gratia ſuo interceſſori, ſicut uno eodemque tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam una, atque indiſſimili ſede perpetuæ beatitudinis meruiſſet recipi. *Bed. l. 4. hiſt. Eccl. c. 29.*

Quomodo in loco exilii in Albinenſi civitate Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis diem prænoverit extremum, ita Gregorius narrat: Hic cùm magnis in ſæculo polleret virtutibus, & jam victor de tormentis martyrialibus exiliiſſet: tempus vocationis ſuæ, quo accerſitus ad gloriam, Domino revelante

revelanter, cognovit; illud præcipuè, quod poculis occultabatur, manifeſtum noſcens, ſe martyri Amaratho ſocium eſſe futurum (colitur iſte martyr in ea, ubi ſepultus eſt, civitate) ad ejus ſepulchrum dirigitur, proſtratuſque ſolo diutiſſimè orationem fudit ad Dominum. Deinde expanſis ſuper pavimentum brachiis, ſpiritum cœlo direxit. Qui à Chriſtianis collectus, in quadam crypta ſepulturæ mandatus eſt. *Greg. Turon. lib. 1. mir. cap. 58. apud. Bar. tom. 6. an. Chriſti. 495.*

Hominum verò omnipotens Deus tripidantium mentes quibuſdam priùs revelationibus roborat: ut in morte minimè pertimeſcant. Nam quidam mecum in Monaſterio frater Antonius nomine vivebat, qui multis quotidianis lachrymis ad gaudia patriæ cæleſtis anhelabat. Cumque ſtudioſiſſimè, & magno fervoris deſiderio ſacra eloquia meditaretur; non in eis verba ſcientiæ ſed fletum compunctionis inquirebat. Quatenus per hæc exaltata mens ejus inardeſceret, & ima deſerens ad regionem cœleſtis patriæ per contemplationem volaret. Huic per viſionem nocturnam dictum eſt: Paratus eſto, quia Dominus juſſit migrare te. Cùmque ille non habere ſumptus ad migrandum diceret: Reſponſum protinus audivit dicens: Si de peccatis imis agitur, dimiſſa ſunt. Quod cùm ſemel audiſſet, & magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia ejuſdem verbis eſt admonitus. Tunc poſt quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus flentibuſque, perfunctus eſt. *Greg. Magn. lib. 4. Dialog. cap. 7.*

Benedicti III. tempore, Lucido Ficuleno Monaſterio S. Gregorii ad Clivum Scauri præeminente, cùm peſtilentia faucium, multitudo quotidie maxima periret, Joannes ejus loci Monachus venit ad mortem. Cui deſperanti S. Gregorius in ſomnis apparuit, dicens; Vis ſanus fieri? at ille ſe velle reſpondit: Et B. Gregorius: Si mihi, inquit, promiſeris, quæ tibi dixero, fore dicturum ſcito te eſſe ſanandum: ſin verò, citiùs moriturum. Cùmque ille ſe dicturum tota certitudine promitteret, audivit: Ito denuntians Sabæ, Joanni, Benedicto, Martino, Palumbo, & Antonio Monachis, Laurentio coco, Gemmoſo carpentario, Accepto piſtori, Andreæ Romano, & Leoni laicis, quoniam à craſtino incipientes, omnes dietim ſe moriendo ſubſequentur. Poſt quorum deceſſum denuntia, Lucidum Epiſcopum, qui tenet id Monaſterium, die ſeptima moriturum. His dictis Monachum oſcitare præcipiens, duos digitos in fauces conjecit, vulnuſque diſcutiens, ut excrearet, injunxit. Ille tuſſiens partem coagulati ſanguinis, in morem lapidis, revera projecit: & ab ipſis penè mortis januis liberatus, eadem nocte, contra ſpem omnium matutinalibus hymnis interfuit, & mirantibus fratribus ſanitatis ſuæ modum innotuit, quos, quando, & qualiter ex Monaſterii familia morituros præviderit, indicavit. De ſola interim Epiſcopi morte dubitando conticuit. Et è veſtigio in cunctorum morti deputatorum auribus volans fama diſcurrit. Et dum ex relatione Monachi ſe morituros certa die cognoſcerent, diſpoſitis ſuis reculis, ita ſe in morte ſecuti ſunt, ſicut fuerant in ſomno nominati. Cùmque Presbyter, & Monachus Lucido Epiſcopo tam durum nuntium revelare timeret tacere, autem penitus non audere? Monaſterio ſe tandem proripuit, & in domum Epiſcopi non longè à flumine Tiberi, è regione videlicet juxta baſilicam ſanctorum Cyri, & Joannis poſitam, ſomnium nuntiaturus acceſſit. Quem ſcilicet ubi cum Pontifice in Palatio prandere cognovit: expectans redeuntem Sacerdotalibus veſtimentis indutum, colore fulgidum, valetudine quoque ſaniſſimum ſalutare curavit. Cui Epiſcopus ait: Jam nunc in tota urbe pro divino haberis, quia de his, quos morituros pronunciaſti, ſolus unus remanſit. At ille: Utinam ſicut & ille, quem vivere putas, defunctus eſt, ſic ipſe qui hunc ſequi prædictus, exiliret. Cùmque Epiſcopus de eo tota curioſitate requireret, & Monachus dicere palpitaret, tandem ubi die ſexto ſe moriturum cognovit, expalluit, atque contremuit, reſumptiſque viribus contra Monachum frenduit, quem redire volentem retinuit: interiora cubiculi pervagus penetravit, paulatim ſibi fauces dolore præſentit; deinde tacto pulſu, mox febris ſigna cognovit, Monacho credidit, domum ſuam diſpoſuit, ad Monaſterium, cui præerat, eiſdem redimitus, quibus à Patriarcha reverſus fuerat, venit. Secunda feria, cunctis tam ſubitam converſionem mirantibus, Monachicum habitum ſuſcepit, & paulatim ingraveſcente morbo, ſextæ feriæ diluculo obdormivit. *Jo. Diacon. de rebus geſtis B. Greg. apud Baron. tom. 10. an. 856.*

S. Andreas Epiſcopus Feſulanus ordinis Carmelitarum anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo, in nocte Nativitatis Domini, in Eccleſia cathedrali, dum rem ſacram faceret, ei Virgo glorioſa apparuit, nuncians ei obitus ſui diem proximo menſe, videlicet octavo Idus Januarii: quo die Epiphania Domini celebratur. Qua quidem revelatione tanto gaudio, atque lætitia repletus eſt, ut qui priùs ob victus parcitatem macilentus, & ſequallore perfuſus erat, Seraphico penè colore perfuſus ſit. Non ſecus ut beata Virgo prædixerat, morbo correptus Antiſtes, eo die naturæ conceſſit, anno ab Incarnatione Domini 1703. octavo Idus Januarii. *In vita ejus apud Sur. 6. Januarii.*

Sed neque hoc ſileam, quòd probus Dei famulus de ſorore ſua nomine Muſa, puella parva narrare conſuevit. ☞ *Vide ſupra in Apophthegmatibus fœminarum.*

☞ *Vide etiam infra. Mors præcognita.*

Mors justorum pretiosa.
Exempla S. Scripturæ.

Cum eſſent in agro Cain, & Abel, conſurrexit Cain adverſus Abel, & interfecit eum. Rationem tangit Joannes: quoniam opera ipſius maligna erant, fratris autem iuſta: *Gen. 4.*

Ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. *Geneſ. 5.*

Mortuus Abraham in ſenectute bona, provectæque ætatis, plenus dierum, congregatuſque eſt ad populum ſuum, *Geneſ. 25.*

Completi ſunt dies Iſaac 180. annorum, conſumptuſque ætate mortuus eſt, & appoſitus populo ſuo ſenex, & plenus dierum. *Geneſ. 35.*

Jacob finitis mandatis, quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum ſuum, & obiit, & appoſitus eſt ad populum ſuum. *Geneſ. 48.*

Cum adjuraſſet Joseph fratres ſuos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos, aſportare vobiſcum oſſa mea de loco iſto, &c. mortuus eſt. *Geneſ. 54.*

Aſcenderunt Moyses, & Aaron juxta mandatum Domini in montem Hor, coram omni multitudine. Cùmque Aaron expoliaſſet ſe veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum, & mortuus eſt ibi Aaron. *Num. 20.*

Mortuus eſt Moyses ſeruus Domini in terra Moab, jubente Domino, & ſepelivit eum Dominus, & non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem. *Deut. 34.*

David poſt inſtructionem filii ſui Salomonis, & orationem, quam fecit ad Dominum pro eo, & pro toto populo, mortuus eſt in ſenectute bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria. *2. Reg. 8. 1. Par. 19.*

Cùm pergerent ſimul Elias, & Eliſeus, ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum. *4. Reg. 2.*

Spiritus Domini induit Zachariam filium Jojadæ, & dixit populo. Quare tranſgredimini præceptum Domini? Quod vobis non proderit. Qui congregati adversùs eum miſerunt lapides juxta Regis imperium, & interfectns eſt. *2. Par. 24.*

Tobias in hora mortis ſuæ vocavit Tobiam filium ſuum, & ſeptem juvenes nepotes ſuos, & dixit eis: Propè eſt interitus meus. Et de filio ejus paulò poſt dicitur. Completis annis nonagintanovem in timore Domini, cum gaudio ſepelierunt eum. Omnis autem cognatio ejus, &c. *Tob. 14.*

Vixit Job poſt flagella centum quadraginta annis, & vidit filios filiorum uſque ad quartam generationem, & mortuus eſt ſenex, & plenus dierum. *Job. ult.*

Poſt inſtructionem, & confortationem filiorum, Matathias benedixit eos, & defunctus eſt, & poſitus ad patres ſuos. *1. Mach. 2.*

Videns Judas Machabæus multitudinem hoſtium & paucitatem ſuorum ait: Si appropinquavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros. *1. Mach. 6.*

Eleazarus poſt multa tormenta ſibi illata, vita deceſſit. Vniverſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis, & fortitudinis relinquens. *2. Mach. 6.*

Septem illi Fratres cum pia mater ſua finem miro modo laudabilem fecerunt. Et poſſunt ibi notari multa virtutis exempla, *2. Mach. 7.*

Pro veritate, & maritali honeſtate Joannes Baptiſta decollatus fuit ab Herode Tetrarcha. *Matth. 14. Marc. 6.*

De illo famoſo paupere Lazaro ſcriptum eſt. Factum eſt, vt moretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. *Luc. 16.*

Qualitercunque vixerit ille Latro, cui pendenti dixit Chriſtus

A Chriſtus hodie mecum eris in Paradiſo, feliciter mortuus eſt. *Luc. 3.*

Cùm lapidabatur Beatus Stephanus, invocabat Dominum, & dicebat: Domine Jeſu, accipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus exclamavit voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, &c. Et cùm hoc dixiſſet: obdormivit. *Actor. 7.*

Et Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus, qui ſecundùm Auguſtinum *lib. 4. de Trin. cap.* 13. per ſingularem mortem ſuam, noſtram deſtruxit duplicem. Qui ut ait *idem Aug.* 13. *de Civit. Dei cap.* 5. tantam fidei contulit gratiam, ut mors (quam vitæ conſtat eſſe contrariam) inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam.

Historica.

D. Paulus Apoſtolus, cùm eſſet in vinculis, & morti proximus, ſecundam contexuit ad Timotheum epiſtolam, in qua tum prioris cauſæ ſuæ defenſionis, tum migrationis ex hac vita, quæ è veſtigio inſequuta eſt, mentionem facit. Inter cætera autem liberatus ſum, inquit, ex ore leonis: & illud, B Liberavit me Dominus ab omni opera malo, ſarvabitque in regnum ſuum cœleſte. In quo quidem ſuum mox futurum declaravit martyrium. Quod etiam plenius in eadem epiſtola paulò ante prædixerat. Ego enim jam delibor, inquit: & tempus reſolutionis meæ inſtat. Certamen illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi Juſtitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illo die juſtus ille judex: non ſolùm autem mihi ſed & omnibus, qui expetiverent illuſtrem ipſius adventum. 2. *Timot.* 4. *Euſ. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap.* 21. Sub Nerone Paulum capitis ſupplicio affectum fuiſſe tradunt unanimiter Scriptores Eccleſiaſtici.

Jacobum cognomine Juſtum, tradunt fuiſſe primum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtitem conſtitutum ab Apoſtolis & quòd ſinceram de Chriſto doctrinam palàm prædicaſſet à Judæis tumultuantibus trucidatum. Ex ſublimi loco enim eum præcipitem dederunt, & quoniam ita dejectus non ſtatim mortem obiit, ſed vultu ſurſum ſublato, genibuſque flexis dixit, Obſecro, Domine Deus Pater, da illis veniam: neſciunt enim, quid faciunt, cœperunt ſaxa in eum coniicere: & tan- C dem vecte, quo panni à fullionibus premuntur, mactatus eſt. *Euſeb. ex Egeſippo, hiſt. eccl. l. 2. cap.* 22.

Aiunt, B. Petrum, cùm uxorem ſuam ad necem abductam conſpiceret, magna geſtiiſſe lætitia, tum quòd vocaretur à Deo, tum quod in proprium domicilium reverteretur. Eam verò admodum & hortatus, & conſolatus, ſic nomine compellavit; Heus, tu, memor eſto Domini. Tales ſunt beatorum nuptiæ, & tam perfectus amor inter amiciſſimos intercedit. *Euſeb. ex Clemente, Eccl. hiſt. lib. 2. cap.* 24.

Idem Cruci propter Evangelii profeſſionem affixus, paulò antequam ſpiritum emitteret, Gratias, inquit, tibi Domine Jeſu, Fili Dei vivi, non ſolùm voce, & corde ago, ſed etiam ſpiritu, quo te diligo, quo te alloquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te video. Tu mihi omnia, & in omnibus, tu mihi totum, & nihil mihi aliud præter te ſolum, qui es verus Dei Filius, & verus Deus, cui cum æterno Patre, & Spiritu ſancto honor & gloria in cuncta ſemper ſæculorum ſæcula. *Hiſtoria Chriſtiana veterum Patrum.*

D. Andreas Apoſtolus, propter nomen Chriſti in cruce ſuſpenſus, ubi per multas horas vixit, inter multa, Ego quidem, inquit, gratias habeo Domino meo Jeſu Chriſto, qui me D tandam legatione ſua functum migrare corpore vult, ut per bonam confeſſionem perpetuam conſequar miſericordiam, dilectuſque, & notus ejus efficiar, qui me miſit ad vos. Manete autem in verbo vobis tradito, docentes alii alios, ut & ipſi cum Deo in perpetuum habitetis, promiſſionumque ejuſdem fructum recipiatis. Porrò cum Chriſtiani precibus præfectum emollirent pro Dei ſervo, ille agens animam exclamavit, Ne permittas famulum tuum, Domine Jeſu Chriſte, qui propter te pendet in ligno, ſolvi, & humanis converſationibus iterùm tradi; ſed ſuſcipe me tu, quem cognovi, quem dilexi, quem retineo, quem videre deſidero, in quo ſum quod ſum. Hæc dicens migravit ad Dominum. *Eadem hiſt.*

Ignatius Epiſcopus Antiochenus, cùm propter teſtimonium, quod Deo perhibuerat, eſſet ad beſtias condemnatus, ſic loquutus eſt: Dei frumentum ſum, & beſtiarum dentibus molor, ut purus & ſincerus panis reperiar. *Euſeb. ex Irenæo, Eccl. hiſt. l. 3. cap.* 30.

E Temporibus Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli, Germanicus, divina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter inſitam virtute Spiritus S. erexit, ita ut primus inter Chriſti martyres palmam tuliſſe memoretur. Nam cùm Proconſul illi perſuadere conaretur, rationem ætatis haberet, & cùm eſſet in ipſo adoleſcentiæ flore conſtitutus, ſuiipſius miſericordiam caperet, illud conſilium minimè curavit, immò ſine cunctatione feram parato animo ad ſe attraxit, quo celeriùs ab hac injuſta, & impia vita liberaretur. *Euſeb. Eccl. hiſt. l. 4. cap.* 14.

Polycarpus, cùm judices eum à Chriſti fide vellent abducere, & dicerent, Quid mali eſt, illud dicere (Domine Cæſar) & illic ſacrificare, & ſic tandem ſalvum evadere, & incolumem; Polycarpus primò nullum dedit reſponſum, ſed illis magis inſtantibus, ſic tandem locutus eſt: Non facturus ſum aliquando, quod mihi conſulitis. Iſti igitur ſpe illius in ſuam ſententiam pertrahendi dejecti, contumelioſa verba in eum faciunt, & tanta cum celeritate de curru præcipitant, ut inde delapſus, tibiam magnopere laceraret, læderetque. At ille de ea re minimè laborans, quaſi nihil mali fuiſſet perpeſſus, lubenti animo à ſatellitibus ductatus, ſatis incitato gradu ad ſtadium proficiſcitur. F Polycarpo igitur in ſtadium ingredienti, vox è cœlo demiſſa dixit: Fortis eſto, Polycarpe, & excelſo animo rem gere. Eum, à quo eſſet vox profecta, vidit nemo: vocem autem multi è noſtris audiverunt: ſed propter multum in ſtadio comitatum, multitudo omnino eam audire non potuit. Illo igitur ad judicem deducto, ſimulatque intellectum erat, Polycarpum fuiſſe comprehenſum, ingens tumultus ciebatur. Ex quo Proconſul, ubi acceſſit, ſciſcitatus eſt: Tune es Polycarpus? Polycarpus, ſe eundem eſſe fatebatur. Tunc ſuadere proconſul, ut Chriſtum negaret, ſic locutus? Revertere ætatem tuam, & alia his ſimilia, quæ ab ejuſmodi viris dici ſolent. Jura per Cæſaris fortunam: Reſipiſce, dic, Tolle impios. Polycarpus gravi, & conſtanti vultu in univerſam multitudinem, quæ erat in ſtadio, intuens, & manum verſùs eos intendens, cùm gemitu oculis in cœlum ſublatis, dixit: Tolle impios. Præſidi, cùm amplius inſtaret, diceretque: Jurato, conviciis Chriſtum afficito, & te dimittam: reſpondit Polycarpus: Octoginta ſex annos illi jam inſervivi, & nullo me hactenus affecit incommodo: quomodo G igitur Regem meum, qui me ad hoc uſque tempus ſervavit incolumem, contumelioſis verbis poſſum afficere? Proconſule denuò urgente, ac dicente: Jura per Cæſaris fortunam: Polycarpus, Si inquit, ad inanem oſtentationem requiris, ut per Cæſaris fortunam jurem, (ſic enim vocas) & me qui ſim ignorare præ te fers, ſic, ut liberè & ingenuè loquar, accipito Chriſtianus ſum. Quod ſi placet Chriſtiani profeſſionem cognoſcere, da mihi diē, & audies. Tum Proconſul. Iſtud, inquit perſuade populo. Tibi equidem, inquit Polycarpus, rationem & ſententiam meam, (magiſtratibus enim, & poteſtatibus à Deo conſtitutis, cum honorem, qui noſtrorum animorum ſaluti, noſtræque religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non gravabor: ſed illos non ſatis dignos exiſtimo, quibus de fide noſtra per reſponſum ſatisfaciam. Et Proconſul: Beſtias, inquit, habeò in promptu: iſtis te obiiciam laniandum, niſi te maturè pœnituerit. Accerſe, inquit, nam nobis rata, ac decreta ſtat ſententia: & multùm ab eo abſumus, ut aliquando animo mutato, nos meliorem pœniteat, quò deteriora ſequamur. A ſævitia & crudelitate, ad æquitatem & modeſtiam traduci, eſt pulchra ſanè mutatio. Ad quem rurſus proconſul: H Te, inquit, ardentibus flammarum incendiis domitum, & manſuetum reddam, ſi beſtiarum laniatus contemnas, ni reſipiſcas ocyus. Tum Polycarpus. Ignem, inquit, mihi minitaris, qui ad tempus exardeſcit ille quidem, ſed paulò poſt penitus extinguitur. Verùm ignem illum futuri judicii, ad perpetuorum impiorum ſupplicium, & cruciatum reſervatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris; Profer beſtias, aut aliud, quod lubet.

Iſta, & alia complura locutus, tanto vultus decore, & gratia imbutus eſt, tantaque animi fidentia, & alacritate expletus, uti his, quæ ei eſſent tam minaciter objectata, non modò non conturbatus ſuccumberet, ſed contrà illum ipſum Proconſulem admirabili ſua conſtantia, & gravitate prorſus obſtupefaceret. Ad ignem damnatus tandem, id requirente populo Ethnico, qui furenter vociferabatur, cùm illum clavis vellent affigere, dixit, Sinite me hoc modo: nam qui mihi patientiam ad ignis flammas ſuſtinendas pro ſua clementia largitur, largitur etiam ut ſine commiſſuris clavorum, quibus me affigere ſtatuitis, conſtans abſque ulla corporis commotione rogo adhæreſcam. Illum

Illum igitur non clavis ſed vinculis tantummodo colligarunt. A Qui manibus à tergo circumplicatis, conſtrictiſque, tanquam aries inſignis ex immenſo grege delectus, ut holocauſtum gratum, & acceptum fieret Deo omnipotenti, ſic locutus eſt: Pater dilecti, & benedicti filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui cogitationem accepimus, Deus Angelorum, & poteſtatum, Deus totius creaturæ, & juſtorum cujuſque generis vivunt in conſpectu tuo, Tibi gratias ago, quòd me hujus diei hora, & celebritate donaſti, in qua cùm in martyrum numero, tum in Calice Paſſionis Chriſti tui, tormentorum particeps fiam in reſurrectionem vitæ æternæ, tam animæ quàm corporis, per immortalem Spiritus ſancti virtutem: inter quos, quæſo martyres, hodie in conſpectu tuo pro hoſtia pingui, & accepta admittar: ſicut præparaſti, præſignificaſti, & jam tandem complevisti, qui Deus verus es, & omnis mendacii expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per Jeſum Chriſtum dilectum tuum filium, Pontificem æternum, per quem tibi cum eo in Spiritu ſancto gloria nunc, & in futura ſæcula ſæculorum. Amen. Hac oratione finita, carnifices rogum incenderunt: ſed cùm ab igne Polycarpum minimè attingi, aut lædi viderent, unus illorum Chriſti martyrem enſe confo- B dit. *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 4. c.* 14.

Justinus Martyr, paulò ante mortem dicebat, E quidem expecto, ut vel ab aliquo iſtorum, qui nomine tenus ſunt philoſophi, vitæ meæ parentur inſidiæ, & fuſte conquaſſatus obterar: vel à Creſcente ſaltem non philoſopho, ſed philocompo, id eſt, avido inanis gloriæ. Non enim philoſophus dici meretur, qui Chriſtianos velut impios ſimulat, &c. *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 4. c.* 15.

Lucius. Cùm Urbicium præfectum invicta quadam animi generoſitate increpaſſet, quod Ptolemæum Chriſtianæ fidei aſſertorem iniquè afflixiſſet, & damnaſſet, ab eodem Urbicio morti adjudicatus, gratias egit dicens, à malis ſe dominis liberari, ad Deum patrem, & regem optimum tranſire *Nicephor. Eccl. hiſt. lib. 3. cap. 3. Euſeb. lib. 4. c. 16.*

Blandina tormentis omnibus excruciata, perdurabat: laxamentumque ei, & (ut ita dicam) indolentia Plagarum, & cruciatuum erat, ſubinde Chriſtianam ſe proclamabat.

Sanctus verò & ipſe tanta animi præſentia, & tam fortiter ſe carnificibus oppoſuit, plurimamque eorum ſævitiam, & pœnis incutiendis felicitatem adeò ſuperavit, ut ab illis inter- C rogatus, non gentem ſuam, non patriam, non nomen, non aliud quicquam, ſed unicum hoc in omni certamine, & lucta tormentorum, Chriſtianum ſe eſſe, diceret. Uſtulatus, ita ut nidor, & arvina proflueret, conſtans, & immotus permanebat, apertum omnibus exhibens exemplum, nihil ibi eſſe terribile, & metuendum, ubi adſit Dei patris dilectio, nihil, ærumnoſum, atque dolendum, ubi Chriſti gloria.

Bibliadem produxerunt deinde, eam flagris crudelem in modum conſcindentes, eique perſuadere conabantur, ut Chriſtianorum ſacra piaculum eſſe diceret. Illa autem veluti è ſomno excitata, longe aliud, diverſumque magis quàm ipſi expectantes volebant, profeſſa eſt, illud inſuper adiiciens, Quomodo verò Chriſtiani infantes vorent, qui etiam ab animantum ratione carentium ſanguine abſtineant; De ea Chriſtianorum veterum abſtinentia ab animalium ſanguine, vide Apoſtolorum decretum, *Act.* 15. quod fuit temporarium, tantiſper dum Ethnici plenius edocti ad Chriſti notitiam pertraherentur. Porrò cùm Biblias talia pateretur, & diceret, generoſo admodum animo, ordini martyrum eſt allecta.

D Pothinus, Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus, cùm pulchram profeſſus eſſet profeſſionem, à tribuno quiſnam eſſet Chriſtianorum Deus interrogatus, Cùm Chriſtianus (inquit) fuerit ſcies. Quapropter violentiùs ſtatim acceptus, crudeles plagas tulit, & in carcerem demiſſus biduo poſt ſpiritum Deo decedens commendavit.

Attalus cùm jam in ferreo ſedili ureretur, nidorque ab eo prodiret, illud tantùm Romana lingua effatus eſt, En hoc ipſum eſt humana veſci carne, quod vos facitis; nos verò neque homines voramus, neque præterea mali quidquam facimus. Interrogatus etiam, quod eſſet Dei nomen? reſpondit, Deus nomen non habet, ut homo. *Niceph. eccl. hiſt. l. 4. c.* 17.

Apolonius, Senator Romanus, Imperante Commodo, cùm judex obnixè ab illo petiiſſet, flagitaſſetque, ut fidei ſuæ rationem coram Senatu redderet, ſimulatque orationem apologeticam pro fidei, quam profitebatur, defenſione coram omnibus recitaſſet, ſententia Senatus ſecuri percuſſus, deceſſit è vita. Hujus, coram judice verba, & reſponſa quæ palàm E ad Perennii rogata dabat, & orationem apologeticam apud Senatum habitam, deſcripſerat Euſebius libro de veteribus martyribus, qui temporum injuria excidit. *Euſeb. Eccl. hiſt. l. 5. c.* 20.

Barylas, Antiochenus Epiſcopus, poſt fidei confeſſionem in vinculis vitam deſeruit. Ferunt eum juſſiſſe diſcipulis, ut catenas ſuas pugnæ, & victoriæ per Chriſtum reportatæ teſtes cum eo ſepelirent. Alius Babylas martyr, cùm cervicem feriendam præberet: Revertere, dixit, anima mea ad requiem tuam: quia Deus benefecit tibi: eripuit animam meam à morte, oculum meum à lachrymis, pedem meum à lapſu. Ambulabo coram Deo in terra viventium. *Eccl. hiſt. ſcriptores. D. Jo. Jacobus Grynæus in apopht. morientium.*

Sub Decii imperio Ethnici in Alexandria ſenem quendam Metram nomine, arreptum, impia verba contra Deum loqui mandant: cujus corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat fuſtibus cædunt, vultum, oculoſque præacutis arundinibus pungunt, ipſum adeò ad ſuburbia abductum lapidibus obruunt.

Deinde fidelem mulierem, quæ vocabatur Quinta, ad idolorum delubrum ducere, & ad falſos deos venerandos impellere F cœperunt, eamque cùm ſe averteret, & talem cultum deteſtaretur, pedibus conſtrictis, per univerſæ urbis plateas aſperis ſaxis conſtratas raptare, & ſimulac corpus ejus ad ſaxa molaria alliſiſſent, & flagris pariter laceraſſent, ad ſuburbia trahere, ibique crebro ſaxorum conjectu obterere?

Piorum ædibus direptis Apolloniam virginem id temporis cùm primis admirandam, & admodùm provectam ætate, comprehendunt, & maxillis ejus crudeliter diverberatis, omne dentes illi excutiunt: atque rogo in ſuburbiis extructo minantur, niſi verba blaſphemiæ unà cum ipſis palàm eloqueretur, ſe eam vivam crematuros. Illa paululùm temporis ad reſpondendum precata, & dimiſſa ex eorum manibus, ſine mora inſiliit in rogum, ſicque flammarum incendio abſumpta eſt.

Serapionem proprio lare abſtractum diris concidunt tormentis, & omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito præcipitem deiiciunt.

Aliorum Martyrum, nempe Juliani, Cronii, Beſæ [illegible] litis, Macarii, Epimachi Alexandri, quatuor mul[illegible], Heronis, Atteris, Iſidori, Dioſcori pueri 15. annorum, Nemeſis, Ammonis, Zenonis, Ptolemæi, Ingenis, Theophili, Iſchirionis, invictam conſtantiam, & crudeles cruciatus pro G Chriſti nomine fortiter perpeſſos deſcribit *Euſeb. l. 6. c.* 54. *hiſt. Eccl.*

D. Cyprianus morti adjudicatus propter Chriſtianæ religionis conſtantem profeſſionem dixit, gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis hujus corporis abſolvere dignatur. *Pontius diaconus in actis paſſion. D. Cypr.*

Priscus, Malchus, Alexander, Cæſareæ Palæſtinæ beſtiarum rictibus velut præda objectati, divino, & cœleſti martyrio non ſine maxima commendatione decorati fuerunt. Fertur verò, iſtos ruri degentes primum ſeipſos tanquam inertes, & deſides probris affeciſſe, quod cùm temporis opportunitatis præmium vitæ æternæ his, qui cœleſti ejus deſiderio flagrabant, diſpertire videretur, ipſi, præ negligentia quadam & ſegnitie, martyrii coronam non præripuiſſent. Deinde cùm inter ſe ita deliberaſſent, abſque mora Cæſaream verſùs ire pergunt, ibique extemplò adeunt judicem, & felicem vitæ exitum aſſequuntur: edita nempe Chriſtianæ fidei profeſſione. *Euſ. Eccl. hiſt. l. 7. c.* 11.

Marinum Romanum militem Centurionatus honorem elatum ſub Galieno, alius, pro tribunali comparens, in crimen vocat, tum quòd eſſet Chriſtianus, tum quòd Imperato- H ribus non immolaſſet: ac propterea, inquit, ex veterum legum inſtitutis, illi non licet eum dignitatis gradum apud Romanos adipiſci; ſed illud quidquid eſt muneris mihi jure impertiri debet. Unde judex commotus, primò ſciſcitatus eſt cujuſnam ſententiæ, & religionis eſſet Marinus. Quem ut animadvertit, conſtanter ſe Chriſtianum eſſe confitentem: trium horarum ſpatium ei ad deliberandum dat. Hunc è judicio egreſſum Theotechnus, qui illic erat Epiſcopus, ad ſe colloquendi cauſa invitat: & prehenſa manu recta deducit in templum. Quem cùm interius ad ipſum Sanctuarium collocaviſſet, læva paululùm in alteram partem dimota, gladium quo cingebatur oſtendit, ſimulque divinorum Evangeliorum librum adferens ex adverſo proponit: præcipitq; ut ex illis duobus, quod magis eſſet ex animi ſentētia, diligeret. Ubi verò abſque cunctatione porrecta manu dextera Marinus ſacrum librum accepit, Theotechnus ſic illum affatur: Tene, & adhæreſce Deo. Sic enim ab eo roboratus,

roboratus, quod in optatis eſt, pro certo aſſequere. Abi in A pace. Illum ſtatim inde redeuntem præco pro tribunali advocat, jam enim tempus illi præſtitutum ad deliberandum erat completum. Siſtit ſe pro tribunali, ubi cùm majorem jam, quàm anteà, fidei ardorem, ac ſtudium declaraſſet, actutum inde, ut erat ad mortem rectà abductus, martyrio è vita exceſſit. *Euſeb. eod. l. c.*14.

Sub Diocletiano, & Maximiliano Imperatoribus innumerus ferè apparebat martyrum numerus per varias Imperii Romani provincias. Inter eos autem, qui fortiter pro Chriſto occubuerunt, prætereundi minimè videntur Thebaidis Martyres. Simulatque enim contra quoſdam ſententia mortis pronunciata eſſet, alii aliunde ad judicis tribunal proſiliebant, ſe Chriſtianos confitentes, acerbitates, & multiplicium tormentorum modos pro nihilo putantes, abſque metu, & terrore liberè pro Religione, & cultu Dei loquentes, cum gaudio denique, riſu, & lætitia, poſtremam mortis ſententiam excipientes, ſic ut pſalmos, & gratiarum actiones in Deum totius mundi conditorem, quoad extremum ſpiritum edidiſſent, lætis animis decantarent. *Euſeb. l.*8. *c.*9.

Philoromus procurator Imperatoris in Ægypto, & Phileas Thmuirenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in carcerem conjecti ſunt propter Chriſti nomen. Cùm autem permulti, & cognati, & alii amici eos obſecraſſent, viri primarii oraſſent, ipſe judex deB nique hortatus eſſet, ut ſui ipſorum caperent miſericordiam, liberorumque, & uxorum curam ducerent: nequaquam ejuſmodi virorum precibus adduci potuerunt, ut vitæ cupiditate aliqua ex parte delectarentur, & divinas leges de confeſſione, & negatione Servatoris noſtri penitus contemnerent: ſed virili animo, & mente digna philoſophis, immò verò pia, & digna Deo, contra omnes judicis minas, contra contumelias fortiter ſe opponentes, ambo capitibus abſciſſis abierunt è vita. *Euſeb. eodem l. c.*10.

Ex Palæſtinæ martyribus primus fuit Procopius, qui antequam carceris ſatis magnum feciſſet periculum, ſtatim à primo ingreſſu cùm in judicio coram præſidibus ſiſteretur, & ei imperatum eſſet, ut diis eorum immolaret, unum ſolum Deum ſe ſcire dixit: cui, ſicut ab ipſo præceptum eſt, ſoli eſſet ſacrificandum. Poſtquam verò quatuor Imperatoribus hoſtias etiam offerre illi mandatum eſſet, ſententiam quandam illis parum gratam elocutus, hoc ſcilicet Homeri carmen.

Non bona res multi Domini, Rex unicus eſto.

Extemplò ſecuri percutitur. *Euſeb. eod. l. c.*12.

Poſt Procopium Alphæus, & Zachæus, cùm poſt verbeC ra, & novaculas, poſt vincula aſpera, graveſque in eiſdem dolores, poſt alias diverſas in tormentis quæſtiones, poſt pedes dies, noctesque compedibus ligneis quatuor foraminum intervallo interpoſito diſtentos, diſtractoſque decimo ſeptimo die menſis, qui vocatur Dius, hoc eſt, apud Romanos ad decimum quintum Calend. Decembris, unum ſolum Deum, & ſolum Jeſum Chriſtum Regem liberè eſſent confeſſi, velut aliquid locuti blaſphemiæ, pari ratione cum martyre ſuperiore, capitibus abſciſſis, ex hac luce decedunt. *Euſeb. Ibid.*

Romanus, Palæſtinus genere, Eccleſiæ Cæſarienſis diaconus, & exorciſta, cùm pariter Antiochiæ in Eccleſiarum vaſtatione fortè verſaretur, complures viros ſimul cum uxoribus, & liberis acervatim ad idolorum delubra properantes, & eiſdem hoſtias immolantes, intuitus, ſpectaculum neutiquam tolerandum arbitratus eſt, & propterea ſingulari pietatis ſtudio incenſus, accedit propiùs, & magna voce exclamans, eos graviter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prehenſus generoſiſſimus (ſi quiſquam alius) D teſtis declaratur veritatis. Nam cùm Judex mortem illi ignis incendio infligendam pronunciaſſet, ille vultu hilari, & animo maximè læto, ſententiam lubens amplexatus, ad ſupplicii locum adducitur. Deinde ubi alligatur ad palum, & dum ligna illi circumcirca coacervabantur, & hi, qui incenderent rogum, Imperatoris jam præſentis ſententiam expectabant, clamavit, Ubi mihi ignis quæſo. Hæc locutus accerſitus ad Imperatorem, quò novum, & inuſitatum genus ſupplicii ſuſtineret, ut lingua nimirum illi amputaretur: quod fortiſſimè perpeſſus, aliis omnibus declaravit, divinam vim illis, qui aliquid pro pietate ſubeant acerbitatis, opem ſemper apportare ſolere, cum labores, & ærumnas allevando, tum animi alacritatem firmè corroborando. Iſte enim, ſimulatque novum illum ſupplicii modum intellexit, præ generoſa animi alacritate neutiquam obſtupefactus, lubens extendit linguam, & paratiſſimo animo eam lictoribus, quaſi inſtructam præbet. Poſt quod ſupplicium in vincula conjectus, longinquo temporis ſpatio ibi afflictatus, tandem cùm vigeſimus annus reE gni Imperatoris adventaret (quo ex decreto conceſſum erat, ut libertas omnibus, qui vinculis ubique conſtricti tenebantur, palàm prædicaretur) ſolus iſte in compedibus jacens, utroque pede ad quintum foramen diſtracto, laqueo collo circumjecto ſtrangulatus, martyrio demum, ſicut ei erat in optatis, decoratur. *Euſeb. l.*8. *c.*12.

Dum Gentiles publica feſta inter ſe celebrabant, & conſueta agebant ſpectacula, inter alia, quæ magnoperè ipſis in optatis erant ad contemplandum crebro hominum ſermone ferebatur: Chriſtianos qui dudum erant ad beſtias damnati, certamen confecturos. Cùm verò hujus rei fama latiùs manaret, & apud omnes paſſim vagaretur: adoleſcentes numero ſex, quorum unus genere Ponticus, nomine Thmolaus: alter ex Tripoli, urbe Phœniciæ, qui Dionyſius nuncupatus fuit: tertius Eccleſiæ Dioſpolis ſubdiaconus, qui Romulus dictus eſt: quartus Pauſis, & quintus Alexander, uterque Ægyptius: ſextus hujus gentilis Alexander, ex urbe Gaza, proprias manus, quo ardentem martyrii cupiditatem ſignificaret, ante colligantes, ad Urbanum, qui jam beſtias ad Chriſtianos dilaniandos emiſſurus eſſet, curriculo currunt, ſeque Chriſtianos liberè confitentur: atque ipſa ſua propenſione tanquam ad aciem inſtructa, & ad quodque diſcrimen admodum parata, liquido declararunt, eos F qui in vero Dei omnium rerum fabricatoris cultu gloriantur, violentas immanium ferarum incurſiones nequaquam formidaturos. Unde profectò tum præſidem, tum illos, qui cum eo erant, in repentinam admirationem traducentes, extemplò in carcerem contruduntur. Non multis diebus poſt alii duo fuere in eorum numerum adſcripti, unus, qui acerba, & varia tormenta propter fidei ſuæ confeſſionem variis temporibus oſtentatam, anteà exhauſiſſet, Agapius nomine: alter, qui res ad corporis uſum neceſſarias illis martyribus ſubminiſtraſſet, Dionyſius appellatus. Omnes iſti octo numero, uno die, nempe vigeſimo quarto menſis Dyſtri, hoc eſt ad nonum Calend. Aprilis in ipſa Cæſarea ſecuri percuſſi obeunt.

Cùm tertio anno perſecutionis Chriſtianæ, regnante Maximino, ſecundus in Chriſtianos cieretur tumultus, & tyranni literæ, tum primum ad Urbanum perlatæ eſſent: ut omnes cujuſque generis, & ætatis (magiſtratibus in quaque civitate omni cura, ac ſtudio in eam rem incumbentibus) diis eorum immolarent, & præcones per totam urbem Cæſaream viros cum uxoribus, & liberis ad idolorum delubra ex edicto præſidis convocarent, & tribuni item quemG que ex ſcripto nominatim appellarent (unde omnia loca inexplicabilibus miſeriarum fluctibus redundabant) Aphianus (nemine, qui eſſet facturus, ei conſcio) clam univerſa præſidiis cohorte, fidenti animo ad Urbanum jam ſacrificantem accedit: atque audacter, & abſque formidine ejus dextram prehendens, extemplò ab immolando coercuit, prudenterque admodum, & graviter cum divina quadam animi confeſſione, & alacritate ab errore deſiſtere hortatus eſt, nam parum rectum eſſe, ut uno, & ſolo vero Deo relicto, idolis, & dæmonibus hoſtias offerret.

Iſtud planè, ut videtur, adoleſcentulus aggreſſus eſt, divina vi, & potentia ipſum ad hanc rem impellente, & per facinus ab illo admiſſum penè in aures omnium inclamante: tantum abeſſe ut Chriſtiani, qui hoc nomen verè uſurpant, à pietate in Deum omnium authorem, qua ſemel ſunt imbuti, abducantur, ut non modò minas, terrores, & omnia ſuppliciorum genera, quæ eoſdem ſequi ſolent, ſtrenuè ſuperent, ſed deinceps etiam magis fidenter loqui, & lingua ingenua, ac neutiquam metu hæſitante, fidem liberè confiH teri, & ſi fieri poſſet, etiam perſecutores ipſos, & carnifices ab ignorationis cæcitate avocare, & ad unum ſolum Deum agnoſcendum impellere audeant.

Hac igitur de cauſa iſte, de quo inſtituitur oratio, confeſtim (quod veriſimile erat homini in tali facinore deprehenſo eventurum) à præfecti ſtipatoribus, tanquam agreſtibus belluis in eum furentibus, dilaniatus, & infinitis plagis, toto corpore, quas fortiſſimè ſuſtinebat, excruciatus, ad tempus in carcerem concluditur. In quo unũ diem, noctemque utroque pede compedibus ad cruciatum paratis, longè à ſe mutuò diſtento divexatus, poſtridie ad judicem educitur. Ac ſimulatque compellebatur ad ſacrificandum, reſtitit, & ſummam animi tolerantiam ad ærumnas, horrendoſque dolores ferendos monſtravit: adeò ut carnifices latera ejus non ſemel, atque iterum, ſed ſæpiùs ad oſſa uſq; & intima viſcera dilacerare, plagas, & verbera

in

in os, & cervicem infligere pergerent, uti vultus ejus verA berum vibicibus intumeſcens, ab iis, qui illum probè, & accuratè ante de facie noviſſent, ne agnoſci quidem amplius poſſet. Verùm cùm ne huic quidem dolorum cumulo ulla ex parte ſuccumberet, tortores ex mandato præſidis, pedes lino tincto oleo, eoque incenſo obvolventes, afflictarunt, unde quantos, & quàm graves dolores beatus ille exhauſerit, mihi videtur non poſſe dicendo exprimi. Pervaſit enim per carnes illius, eaſque abſumpſit, & in oſſium penetravit medullas, uſque adeò ut totius corporis humor inſtar ceræ tabefactus liqueſceret, diſtillaretque. Cæterùm ne in his quidem cruciatibus demiſit animum, ſic ut jam adverſarii, & carnifices incredibili ejus tolerantia, quæ communem hominis naturam longè ſuperavit, ferè defeſſi eſſent: unde rurſus in vincula compingitur. Triduò poſt ad judicem denuò productus, & eandem pietatis confeſſionem liberè exprimens, licèt jam deinceps propè mortuus eſſet, maris tamen fluctibus ſubmergendus traditur.

Miraculum autem, quod ſtatim poſt eſt conſecutum, ſi à nobis commemoretur, veriſimile eſt, nullam fidem habiturum apud eos præſertim, qui eadem oculis minimè ipſi conſpexerunt: at licèt homines, vix fidem illi adhibituros ſatis intelligamus, ratio tamen non patitur, quin omnino rem, ut geſta eſt, ſcriptis prodamus: quippe cùm omnes (vere dixerim) qui CæB ſaream incolunt, ejuſdem teſtes habere videamur: nulla enim ætas Cæſarienſium ab iſto admirabili ſpectaculo abfuit. Simulatque igitur ſanctiſſimum illum, & beatiſſimum Chriſti martyrem medio mari, ut illis videbatur, in profundiſſimos vortices conjecerant, ex improviſo tanta procella, non uſitata illa quidem, tanta etiam turbatio non per mare ſolùm, ſed per univerſam continentem ſe diffundebat, ut cùm terra, tum tota civitas, ejus impetu, & violentia concuteretur, atque una cum iſto mirando, & repentino terræmotu, ipſum mare martyris cadaver, utpote tam ſacrum pondus ſuſtinere non valens ante portas civitatis eiiceret. *Ibid.*

Non longo tempore poſt Ædeſius non ſolum Apphiani ſecundùm Deum, ſed etiam ſecundum ſanguinis conjunctionem ex patre germanus frater, germana ferè, & ſimilia cum illo tormenta perpeſſus, poſt infinitas fidei confeſſiones, poſt diuturnas vinculorum afflictiones, poſt latam à præſide ſententiam, qua ad metalla in Palæſtina erat damnatus, poſt vitæ rationem, quam pallio veſtitus amore philoſophi (etenim plus politioris eruditionis, pluſque cognitionis in philoſophia fuerat, quàm frater adeptus) ſanctiſſimè traduxeC rat: tandem cùm judicem in urbe Alexandria ſententiam de Chriſtianis pronunciantem videret, & plus æquo in eos furentem (quippe viros interdum graves, & modeſtos variis ignominiæ notis affecit, interdum & mulieres ſummæ continentiæ, & virgines quæ ſua ſponte Dei cultui ſe conſecraverant, ad turpem ipſarum contumeliam lenonibus tradidit) idem cum fratre aggreſſus eſt: & quoniam illa facinora intoleranda ei videbantur, fidenti, & erecta animi magnitudine accedens ad judicem, turpitudinis, & ignominiæ, quam cùm verbis, tum rebus ipſis præſtitiſſet, eum coram coarguit: unde variis tormentorum cruciatibus divexatus (quæ quidem conſtanter, & ſedatè admodùm pertulit) ad extremum fuit in mare projectus, & eundem cum fratre exitum conſecutus. *Euſeb. lib.*8. *c.*15.

Agapius veræ, & divinæ pietatis athleta primùm à tyranno accerſitur: deinde inficiationem ſuæ voluntatis, & inſtituti rogatus eſt: promittitur ei libertas. At ille magna voce palàm teſtatur, non turpis, & nefarii criminis cauſa, ſed pietatis in Deum, omnium rerum opificem, libenter, & cum voluptate omnia ſupplicia quæcumque ſibi imponerentur, ſe paD cato, & tranquillo animo ſubiturum. Atque hæc elocutus, dicto citius factum exequitur: & urſo in illum dimiſſo, ex adverſo veluti curriculo factus obviàm, ſeipſum libentiſſimè vorandum dat. Poſt adhuc ſuperſtes ſpiritum ducens, in carcerem mittitur, ubi uno die vita commoratus poſtridie lapidibus ad pedes ejus appenſis in medium mare demergitur. *Euſeb. l.*8. *c.*17.

Inter martyres Gazenſes, una quædam corpore mulier, animi autem magnitudine planè vir, cùm ſtupri minas ferre non poſſet, & tale verbum eſſet contra Tyrannum locuta, nempe rectionem Reipub. judicibus admodum crudelibus ab eo commiſſam, primùm verberibus cæditur: deinde ſublimis in ligno erecto ſuſpenſa acerbos laterum cruciatus perfert. Ubi autem, qui ad eam rem erant deſignati, ex Judicis mandato acria, acerbaque cruciamenta illi incuſſerant, alia Mulier quæ multò majorem laudem quàm illi, quos Græci μαχητάς, vocant, hoc eſt pugiles (qui ob alacrem, & erectum in dimicando animum pleno ore prædicantur) promerita eſt, quæ- E que pari ratione cum illa priore virginitatis ſcopum ſibi propoſuerat, corporis forma, ut videbatur admodum ſordida, vultu quidem abjecta, ſed animo revera robuſta, & majorem animi celſitatem quàm corporis ſpecies præ ſe ferebat, in pectore complexa, cùm pati non poſſet, ut tam dirè, crudeliter, & inhumanè cum illa ageretur, è media turba ſic in judicem vociferatur: Quouſque tam acerbè ſororem meam torques? Ille iracundia magis exæſtuans, ſtatim illum hominem comprehendi jubet: ea deinde rapitur in medium. Quam quidem liberè venerandum Servatoris nomen profitentem, primùm verbis ad immolandum ſolicitavit. Verùm ubi reſiſtebat, vi ad altare trahitur. Illa tum ſuæ indoli germana, & convenientia obiens, & nihil de priore animi alacritate remittens, pede intrepido, & fidenti in aram ruit, in eam inſultat calcibus, & quæ in ea erant, unà cum lignorum ſtrue penitus evertit, Unde judex tanquam truculenta bellua, bile, & rabie excandeſcens, primùm tot tormenta in ejus latera impingi præcepit, quot nemini unquam anteà, & præ furore propemodum crudis ejus carnibus ſe ſaturare geſtiit. Poſteà autem quàm ejus inſania ſatietatem cœperat, ambas ſimul junctas, hanc nempe cum ea, quam ſororem antè appellaverat, flammarum incendio obſumendas addixit. *Euſeb. eod. l.*17. *c.*8. F

Eodem temporis articulo Paulus cum illis mulieribus una ſententia morti adjudicatus, ad extremum à lictore, cùm ejus caput eſſet jamjam amputaturus paululùm temporis ſibi concedi poſtulavit. Quo imperato, primùm clara, & canora voce à Deo expoſcit, ut Chriſtiani tribules ſui ejus gratia reconciliarentur, & ut quàm citiſſimè illis daretur libertas, ſupplex obteſtatur deinde pro Judæis, ut ad Deum per Chriſtum ſe totos transferrent, orat, deinceps paululùm in oratione progreſſus, eadem pro Samaritanis efflagitat: tum ut omnes gentiles, qui in errore, & cæca Dei ignoratione verſabantur ad Dei cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent, deprecatur. Neque univerſam multitudinem, quæ undique circumſiſtebat, omnino tanquam neglectam, & precatione ſua deſtitutam reliquit: poſt quos univerſos, etiam pro judice, qui illum morti addixerat, pro imperatoribus, pro carnifice item, qui mox eſſet caput ejus cervicibus abſciſſurus, eo ipſo (carnificem dico) & omnibus, qui aderant audientibus, Dei omnipotentis numen imploravit, ne illis hoc facinus in ſe admiſſum peccati loco numeraret. Hæc, & ejuſmodi alta voce precatus, tanquam qui immeritò planè neci addi- G ctus fuiſſet, omnes propemodum ad miſericordiam, & lacrymas attraxit; ipſe tamen ſeipſum ad mortem adornans, & cervicem nudam gladio feriendam libenter ſubmittens, beato martyrio 8. Kalend. Auguſti, eximiè fuit decoratus. *Euſ. eod. l. & capite.*

Antonius, Zebinas, Germanus, Ægyptii martyres ſub Maximino Imperatore uno amicorum conſenſu contra Firmilianum præfectum immolantem inſiliunt, & alta voce à tali errore, atque mente deſiſtere hortantur: non alium eſſe Deum, præter eum, qui omnium rerum effector, & architectus eſt, aſſerunt. Rogati ergo, quinam eſſent? Chriſtianos ſe audacter confitentur. Qua de cauſa præfectus vehementius concitatus, abſque ullo alio ſupplicii genere, capite mulctandos tradidit idibus Novembris. *Euſeb. eod. l. cap.* 19.

Sub eodem præfecto Firmiliano duodecim martyres cum Pamphilo presbytero pro Chriſti nomine martyrio coronati ſunt. Horum unus interogatus, cujas eſſet, reſpondit Hieruſalem patriam ſuam eſſe, eam certè intelligens, de qua apud Paulum dicitur. Quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ H eſt mater omnium noſtrum. Item, Acceſſiſtis ad montem Sion, & civitatem Dei viventis, Hieruſalem cœleſtem, is quidem hanc planè intellexit. Sed Firmilianus cogitatione ſua humi abiecta, quæ tandem civitas illa eſſet, & ubi terrarum ſita, accuratè, & curioſè diſquirit, tormentis, etiam adhibitis. Martyr affirmat eam piorum ſolùm patriam eſſe: neque alios præter hos ſolos illius fore participes: illamque ad Orientem, ubi Sol primo mane ſuos radios fundere incipit, poſitam. Nihil aliud præfectus à conſtanti juvene obtinens, ſecuri eum percuti juſſit *Euſeb. eod. l. c.*21.

Imperante Diocletiano, perſecutione variis locis, Nicomediæ præſertim, accenſa, cùm natalis Chriſti feſtus adeſſet dies, & multitudo ætatis omnis, quæ Chriſti nomine cenſetur in templo natalem eum celebratura conveniſſet, tyrannus veluti opportunum tempus, & lucroſam occaſionem nactus, per

quam

quam furorem ſuum adimpleret, miſit eò qui templum clauderet, A & ignem circumcirca accenderent. Aderat ibi præco, qui voce clariore promulgabat, ut qui vivere vellet, ex templo exiret, & in proxima Jovis ara thura adoleret, alioqui niſi hoc feciſſet, unà cum domo ipſa conflagrandus. Tum verò in templo ipſo quidam pro multitudine ea omni, cum inſigni libertate propalam reſpondit, & pulcherrimam illam edidit vocem, Omnes nos Chriſtiani ſumus, unum eumque ſolum Deum, & regem credimus eſſe Chriſtum: & ipſi, Patrique ejus, & Spiritui ſancto ſacrificare, atque, nos omnes una offerre facilè parati ſumus. Vix hæc ille dixerat: & ignis eſt accenſus, qui in temporis veluti momento templum omne complexus, illos omnes viginti millium numerum explentes, in cinerem redegit. *Nicephor. hiſt. Eccl. l.7. cap.6.*

Euphrasia, nobilis puella, quòd idolis ſacrificare nollet, ad proſtibulum damnata, mirando modo ſibi conſulit: cùm enim inter eundum Antymus Eccleſiæ Nicomedenſis miniſter obvius fieret, ab illa interrogatus, quod ſibi è duobus illis imminentibus malis magis eligendum videretur; reſpondens ille, Filia, inquit, Euphraſia, pulcherrimum quidem eſt caſtæ virginitatis donum, ſed majus præſtantiuſque fidei præceptum. Quandoquidem enim, ſi caſus aliquis, aut neceſſitas ita ferret, multò magis pallam ipſam præſtaret, quàm B corpus diripientibus dare: in præſentibus quoque malis, & tentationibus eodem modo rem diſpicere convenit: Et ſi permiſſum non eſt, ut utrumque retineas, ut ſaltem animam incontaminatam conſerves, faciendum tibi eſſe duco, ut ſcilicet mente ipſa per fidem confirmata, carnem injuriis, & contumeliis improborum permittas. Conſilio viri ejus cognito, animo etiamnum in utramque partem fluctuante, tandemque ſe ut utrumque ſalvum retineret confirmante, quò abducebatur, ſequitur. Atque ubi jam in eodem eſt conclavi cum improbo juvene clauſa, techna quadam illum circumvenit. Veneficam ſe eſſe profitetur, mercedemque ingentem conſervatæ pudicitiæ pollicetur, quæ eum à morte conſervet: pharmacum ſcilicet, quo ille perunctus, in bellorum certaminibus, & præliis nullo prorſus telo, aut ferro violari, vel confici poſſet. Quod ſi de tali remedio, inquit, vis facere periculum, illicò id tibi manifeſtè exhibebo. Ille id ſtatim parari permittit. Tum illa verè ſapiens, ceram oleo liquefactam, manibuſque ſubactam collo ſuo circumcirca inungens illinit: quod ubi perfecit, petere eum jugulum ſuum enſe, quibus poſſet viribus adacto. remediique ejus vim, & efficaciam experiri jubet. Ille quàm potuit validiſſimè enſem in eam demiſit, caputque C ejus uno ictu reſecuit. Eo modo Euphraſia corporis, & animi florem illibatum conſervans felici ſtratagemate dæmonum, & impiorum artibus eluſit, immortalem corona obtinuit. *Niceph. eod. l. c.13.*

Constantino Magno imperante Sapores Perſarum rex crudelem adverſus Chriſtianos perſecutionem excitavit, præfectos illis viros ſævos conſtituens, & tributa gravia imponens, ut ſcilicet egeſtate, & exactorum crudelitate expugnati religionem repudiarent: id quod ei magnopere ſtudio fuit. Deinde Sacerdotes, atque Epiſcopos, tanquam eorum præfectos jugulare, Eccleſias demoliri, ſacra donaria publicare, & Symeonem Seleuciæ Steſiophontis primariarum in Perſide urbium Epiſcopum, perinde atque religioni ſimul, & regno Perſarum inſidiantem corripi juſſit.

Magi Perſici Judæis adjuvantibus templa Chriſtianorum ſtatim ſolo æquant, & Symeones ferreis compedibus vinctus apud regem ſiſtitur: ubi virum ſe fortem, & pium præſtitit. Poſt multa namque verbera introductus, non ampliùs, ut conſueverat adorare, Saporem ſuſtinuit: Qua- D propter ira percitus tyrannus, quid id tandem eſſet, quod nunc præter morem faceret, interrogat. Cui ille, quod nunquam anteà, inquit, ſicut nunc, productus ſum, vi mihi illata, ut verum Deum prodam. Quando nullum inter nos erat diſſidium, quæ moris Perſici ſunt, feci: nunc autem nefas id eſſe duco. De veritate namque, & fide nobis eſt certamen.

Sapores illi, ut Solem adoraret, neceſſitatem imponit: quod niſi faceret, non ipſum modò, verùm etiam omnem, quæ ibi eſſet Chriſtianorum gentem interituram eſſe minatur. Sed enim cùm neque minis illum territans, neque promiſſis demulctus, quiddam proficeret, ac nulla ſpes eſſet reliqua, illum vel ſacra ſua proditurum, vel Solem adoraturum, vinctum remittit in cuſtodiam, Quem, dum abducitur, Uſthazanes vetulus eunuchus, Saporis olim pædagogus, primam in aula regia obtinens dignitatem, aſſurgens, ut martyrem adoret (tum enim forté pro aulæ palatio conſidebat) Symeones verò ne verbo quidem eum dignatus, quaſi injuriam affectus præ- E teriit: illud in eo deteſtans, quod non ita pridem coactus Solem adorandum duxerit. Tum eunuchus ille lachrymis obortis ingemiſcit, veſtem ſplendidam ponit, pallam ſumit, atque pro ædibus conſidens luctum gemitu, & lachrymis miſtum continuat, talia ſubinde verba referens: O me miſerum, qualem erga me futurum ſperem, qui à me nulla adhibita vi pernegatus eſt Chriſtum? quando Symeones iſte veteri conſuetudine mihi conjunctus, ea de cauſa, ne aſpectu quidem me dignatus, præteriit? Hæc Saporē latere non potuerunt. Itaque accito eunucho, num quid domi ſuæ ei adverſi acciderit, rogat. Ille, nihil infortunii domi eſſe dicit: felicitatis quippe id eſſet, ſi quid domi eſſet mali. Facilius namque id futurum fuerat, quàm tanta opprimi calamitate. Lugeo autem, inquit, quòd & vivo, & Solem aſpicio, jam dudum qui morerer meritus: propterea quòd non ex animi ſententia, tua gratia, divinum Soli exhibui honorem. Itaque utroque nomine me mori debere judico, tum quod tantopere deſideratum, rerum longè pulcherrimarum proditor factus, negaverim Chriſtum: tum quòd te quoque ipſum decepi. Atque his dictis, adiurat, haudquaquam ſe poſt hac mutaturum ſententiam.

Sapores ad tantam eunuchi mutationem conſternatus, Chriſtianis quàm maximè ſuccenſet, impoſturis, atque incantationibus talia ab eis agi exiſtimans. Et propter familiarem F conſuetudinem, gratiamque, qua nutritium ſuum proſequebatur, modis omnibus à propoſito illum deducere tentat, crudelitatem manſuetudine temperans. Ut autem perficere, quod voluit, non potuit, Uſthazane non tam ſe eſſe ſimplicem, aut ſtupidum dicente, ut pro factore, & creatore, creaturam colendam eſſe ſtatuat; ira victus Sapores caput ei amputari jubet.

Enim verò cùm jam ille abduceretur, fideliſſimum quendam ex eunuchis ad regem mittens, hæc renuntiari ei jubet. Qua ab ineunte ætate, ò rex, benevolentia in te, patrem tuum, & familiam omnem fuerim, alacriter vobis inſerviens, nihil mihi teſtibus opus eſſe credo: ſcire enim te omnia novi. Sed enim pro eo quod ſemper gratificari vobis ſtudui, unam hanc peto gratiam: quam te, quidem, qui multas acceperis, reddere eſt æquum. Graviter enim moriturus fero, quod perinde, atque infidus malèque de familia veſtra meritus, pœnas pendam. Quapropter præconem publicè omnibus promulgare jubeto, Uſthazanem morte mulctari, non qui in regiam, aut regnum quidquam admiſerit, ſed qui ſacra Chriſtianorum profeſſus, minimè regi parere voluerit, ut quem ardenter coluerit Deo negato pro illo Soli divinum ferret honorem, propterea ſupplicium ſuſtinere. Atque inter- G nuncius hæc ita ſignificat.

Sapores autem petitionem implet. Rectè namque promulgationem ejuſcemodi caſuram putabat. Etenim ſi Chriſtiani cum animis ſuis reputarent, nulli de cætero parſum iri, quando nutricius, & tam charus regi vir necaretur, celerrimè eos Chriſtum colere deſituros. Præterea verò factum id Uſthazani quoque commodum accidit. Quemadmodum enim, cùm timore adductus Solem adoravit, multos ex Chriſtianis tranſverſos egit: ita imitatores ejus rurſum futuri fuerant illi, cùm pro veritate religionis cæſum eſſe cognoſcerent. Atque Uſthazanes quidem ita præclarè vitam ſuam finiit.

Symeones de Uſthazanis morte certior factus in carcere, Deo gratias egit. Poſtridie ejus diei, qui erat ſextus hebdomadæ, in quo ante celebrem diem feſtum reſurrectionis memoria ſalutaris Chriſti paſſionis quotannis recoli ſolet, decernit rex, ut Symeones gladio feriatur. Nam ante denuò è carcere adductus ad Saporem forti, & magno animo de fide Chriſtiana cum eo diſſeruit, & neque illum, neque Solem H adorare voluit.

Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, rex idem obtruncari jubet. Ad extremum Symeonem, cum cæterorum omnium mortem oculis aſpexiſſet, trucidari. Horum pars Epiſcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Cùm omnes ad locum, in quo erant necis ſuplicium ſubituri, deducerentur, princeps Magorum percontatur ab illis, an velint vivere, & eandem cum rege religionem colere, Solemque venerari? At ubi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, recta ad locum, in quo erant ſecuri feriendi, deducuntur. Dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur, Symeones aſtans illis, dum interficiuntur, jubet bono animo eſſe, verbaque facit de more, de reſurrectione, de pietate: & teſtimoniis ex ſacris literis depromptis, confirmat ita mori eſſe verè vivere: atque pre ignavia Deum

Deum prodere eſſe verè mori. Eos enim etiamſi nemo ip- A ſis necem afferret brevi morituros: quandoquidem à nemine in lucem hanc edito hic finis vitari poteſt. Poſt mortem verò ea, quæ ſunt æterna, non eodem modo omnibus eventura: ſed ſingulos velut trutina quadam examinatos, accuratam anteactæ vitæ rationem reddituros: & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia illos pro maleficiis pœnas ſempiternas luituros: denique, pro Deo velle mori, eſſe in bonis ſummum, & rem multò beatiſſimam.

Dum iſta Simeones dicendo percurreret, & tanquam magiſter gymnaſii præciperet, quomodo in certaminibus ſe gererent, ſinguli aures attentas ei præbentes ad necem cupidè gradiebantur. Lictor autem poſtquam centum illos interemit poſtremo in loco Symeonem obtruncavit: atque Abedechalaam, & Ananiam unà, ambos ſenes, presbyteros Eccleſiæ, cujus Simeones erat Epiſcopus, pariter cum illo, & comprehenſos, & in vincula conjectos.

Eodem temporis momento, Puſices, præfectus omnium regis artificum, ibi fortè ſtans, cùm videret Ananiam, cui jam cædes parabatur, contremiſcentem; Pauliſper (inquit) ò ſenex oculos occludito, & bono animo eſto: nam ſtatim lu- B men Dei videbis. Vis eſt hæc locutus, cùm comprehenſus, & ad regem deductus eſt. Atque cùm ſe Chriſtianum eſſet confeſſus, quoniam libero ore apud regem pro religione Chriſtiana, & pro martyribus, verba fecerat: idcircò, quaſi aliquod nefas dixiſſet, dabatur lictoribus mandatum, ut admodum peregrino, & crudeli imprimis mortis genere afficeretur. Lictores igitur, collo ejus circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem ejus filia virgo, falsò à quibuſdam in crimen vocata, comprehenditur, eodemque temporis articulo occiditur. *Sozomen. hiſt. eccl. l.2. c.8.9.10. & Niceph. eccl. hiſt. l.4. c.36.*

Temporibus Juliani Cæſaris, cognomento Apoſtatæ, erat quidam Meri urbis Phrygiæ provinciæ præfectus, nomine Amachius, qui delubrum in ea civitate extructum aperire, ſordes jam longo tempore in eo coacervatas expurgari mandavit, ſimulacraque in eo cultu, & obſervantia proſecutus eſt. Quod illius factum Chriſtianorum animis acerbum incuſſit dolorem Idcirco Macedonius, Theodulus, Tatianus, zelo pietatis Chriſtianæ inflammati, iſtam ægritudinem ferre non poterant: ſed flagranti erga virtutem ſtudio præditi, noctu in delubrum irruunt, ſimulachra confringunt. Quo quidem facinore cùm C præſes graviter animo eſſet commotus, & propterea compluresin civitate, qui criminis omnino erant expertes, neci dare contenderet, authores facinoris ultrò illis ſe obtulere: proque veritate ipſi mortem multò maluere oppetere, quàm ferre ut alii ipſorum cauſa vitam amitterent. Quibus comprehenſis, præſes mandatum dat, ut pro facinore ab ipſis admiſſo, ſe ſimulachris immolando purgarent: minaturque ſe illos, ſi iſtud facere recuſarent, acerbo mulctaturum ſupplicio. Illi, utpote excelſo, & magno animo præditi, neglectis ejus minis, ad omnem cruciatum ſufferendum ſe paratos oſtenderunt: malueruntque multò vitam deſerere, quàm ſe ſacrificiorum labe ipſi polluere. Præſes igitur, ubi aliis omnibus tormentorum generibus eos exercuerat, ad extremum craticulis imponit, ignemque ſubdi jubet: quo quidem cruciatu oppreſſi è vita migravere. Et ut pro rebus tam fortiter pro veritate ab ſe geſtis inſigne quaſi faſtigium imponerent, hæc ſunt verba ad præſidem locuti: Si cupiditate duceris, Amachi, carnes aſſas deguſtandi: verte nos in altera latera, ne ipſo in guſtu tibi ſemiaſſi videamur. Hunc illi vitæ habuere exitum. *Sozomen. eccl. hiſt. l.3. c.13.*

D Vitalis, cùm à perſequentibus cogeretur, ut Chriſtum negaret, & audaciùs Chriſtianiſmum profiteretur, omni tormentorum genere excarnificatus eſt, ut non eſſet in ejus corpore ſine vulnere locus. Forti autem animo cruciatus perferens martyr, preces fundens ardentiſſimas dixit, Domine Jeſu Chriſte, Servator meus, & Deus meus, jube ſuſcipi ſpiritum meum, quia jam deſidero accipere coronam, quam Angelus tuus ſanctus mihi oſtendit. Peracta oratione emiſit ſpiritum. *Ambroſ. & Hieron. in exhor. ad virgin.*

Julianus Cæsar, cognomine Apoſtata, ut Chriſtianos omnibus modis vexaret, ſceleratis victimis fontes aquarum contaminavit. Deinde juſſit, quæ in foro exponebantur inquinari: nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia eſculenta, aqua luſtrali aſpergebantur. Quæ cùm viderent Chriſtiani, etſi non poterant non gemere, & ſcelera illa impensè deteſtari, tamen præcepti Apoſtolici memores: (Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicantes propter conſcientiam) iiſdem emptis veſcebantur. At Juventinus, & Maximia- E nus, viri re militari præſtantes, (erant namque ſcurati milites, & ſatellites Imperatoris) in quodam convivio acerbiùs, & majore cum animorum ardore horrenda illa ſcelera deplorant: verbiſque trium puerorum planè admirabilium, qui Babylone olim ſe tam præclarè geſſerant, utuntur: nam inquiunt, Tradidiſti nos regi iniquo, qui te deſeruit ſupra omnes gentes terræ. Quæ verba unus ex convivarum numero indicavit Imperetori. Ille confeſtim optimos illos viros ad ſe adduci jubet, percontatur, quid dixerint: Illi tum occaſionem ex Imperatoris rogatu ſibi oblatam arbitrati, liberè quid ſentirent eloquendi, inſigni quodam zelo incitati, dixerunt iſta: Nos in vera educati religione, ò Imperator, & legibus in primis præclaris, quas Conſtantinus, & ejus filii tulerunt, obſecuti, non poſſumus non graviter, & acerbè jam lamentari, cùm videamus omnia impio ſcelere referta, & tum eſculenta tum poculenta nefandis, & execrabilibus victimis contaminata: iſta nos, & domi ingentem vim lachrymarum profundere, & coram te jam flebiliter conqueri coegerunt. Iſta ſolùm in tuo imperio nos malè habent. Quæ cùm audiviſſet manſuetiſſimus ille ſcilicet, & ſapientiæ ſtudio deditiſſimus (ita enim à ſui ſimilibus appellabatur) exuit perſo- F nam modeſtiæ, & ſe impium, atque ſceleſtum prodidit, juſſitque graves, & acerbas plagas illis imponi, atque ſic hac vita privavit: immò verò iniquo illo, & calamitoſo tempore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliavit. Cauſam autem cur eos ſuppliciò affeciſſet, non in veram pietatem, pro qua erant à medio ſublati, ſed in petulantiam tranſtulit. Siquidem eos propterea mulctatos dixit, quod ipſum contumeliis vexarant. Atque iſta idcircò divulgari mandavit, quòd veritatis athletis & nomen martyrum, & honorem invideret. *Theodor. hiſt. eccl. l.3. c.14.*

Tarbula Virgo fuit ſoror Symeonis Epiſcopi, cujus ante meminimus. Regina Perſarum in morbum delapſa, Tarbula, ſancta virgo, ſimul cum ancilla idem vitæ genus colente, & ſorore ejus, quæ poſt viri mortem abſtinuit à nuptiis, & eandem vivendi rationem tenuit, comprehenditur. Cauſa autem, cur hæ mulieres fuerint comprehenſæ, fuit falſa criminatio à Judæis in eas conficta, quod videlicet ob mortem Symeonis iratæ, venena reginæ inſidiosè paraſſent. Regina verò (ſolent enim ægrotantes malis omnibus facilè aures accommodare) calumniam veram eſſe, & maximè quidem quòd erat à Judæis objecta, exiſtimavit. Nam ejuſdem erat G cum Judæis opinionis, ad eorum morem vitam inſtituebat, & veraces illos, ſibique maximè benevolos putabat. Magi igitur Tarbulam, & reliquas duas arreptas, morte condemnant. Ac cùm ſerra diſſectas patibulis ſuffixiſſent, effecerunt, uti regina ſpatium inter patibula intermiſſum tranſiret, perinde quaſi morbus eo pacto depelleretur. Fertur, hanc Tarbulam forma valde liberali, & honeſta fuiſſe, magnum quendam eam deperiſſe, mercedemque, uti cum illa re haberet, clàm miſiſſe: promiſiſſe denique, ſi vellet ipſius parere libidini, tum eam, tum ſocias ſalvas fore. At illam hanc turpitudinem ne audire quidem voluiſſe: ſed nuncios verbis contumelioſis excepiſſe, intemperantiæ crimen cum probro illis objectaſſe: ſe multò libentius velle mori, quàm virginitatem prodere, reſpondiſſe. *Sozom. hiſt. eccl. l.2. c.11.*

Beniamin Perſa, erat Diaconus in Eccleſia, qui propter, Chriſtianæ profeſſionis conſtantem profeſſionem, juſſu regis Gorotanis in carcerem conjectus eſt. Biennio verò poſt, legatus Romanus venit ad regem de aliis rebus cum eo acturus. Qui de Diacono certior factus, impetrat à rege liberationem. Rex autem jubet Benjamin polliceri, ſe doctrinam Chriſtianā cum nullo mago communicaturum. Legatus quidem recipit, H Benjamin, regis magna effecturum. At Benjamin, cùm legatum hac de re ipſum admonentem audiviſſet, reſpondit: Non poſſe fieri, ut doctrinam lucis, quam à Deo acceperat, non aliis impertiret. Nam abſcondere talentum, quantum mereatur ſupplicii, hiſtoriam Evangeliorum apertè docere. Verùm Rex id temporis hujus reſponſi ignarus, jubet illum è vinculis eximi. Qui quidem, ut ſolebat, homines ignorationis tenebris obcæcatos, inde eripere, & ad lucem, quæ ſola intelligentia percipitur, adducere non ceſſavit. Anno autem poſt, res ab eo geſtæ regi indicantur. Qui jubet eum adduci, & eum quem colebat, denegare. Tum ille ſciſcitatus à rege, quo ſupplicio mulctandus ſit is, qui ejus regnū deſerat, & alterius ditioni ſe ſubiicere animum inducat; Mors, inquit rex, & pœna graviſſima. Cui rurſus ſapientiſſimus vir: Quo pacto igitur, inquit, coercēdus eſt homo ille, qui effectorem, & opificem omnium derelinquat;

quat, & unum è conſervis Deum conſecret, eique cultum vero Deo debitum tribuat? Quibus verbis Rex graviter commotus viginti arundines præacutas per ungues manuum, ac pedum traiici jubet. Ubi autem vidit eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rurſus arundinem in membrum genitale intrudi mandat: quæ ſæpius extracta, inſertaque, dolores ei incuſſit planè inexplicabiles. Poſt illud inflictum ſupplicium impius ille, & immanitate efferatus tyrannus, virgam robuſtam, craſſam, & propter ramos undique eminentes valdè aſperam, in imam alvi ſedem infigi jubet. Quo cruciatus genere generoſus Chriſti athleta oppreſſus extremum ſpiritum edidit. *Theod. hiſt. eccl. 5. c, 38.*

Sub Vandalorum Regibus, Genſerico, Hunerico, & aliis principibus Arianicæ hæreſi faventibus crudeles perſecutiones excitatæ ſunt in Africa adversùs Othodoxos, quas Victor Uticenſis peculiari libro edito enarravit. Martyres quam plurimi gravia quæque, ac mortem acerbam denique pro Chriſti profeſſione fortiter paſſi ſunt. Quæ autem ab eis inter moriendum dicta ſunt, ſpiritum Dei in eis peculiariter regnantem, & loquentem teſtantia, ut & nonnulla aliorum veteris, & primitivæ Eccleſiæ martyrum morientium Apophthegmata, lector pius reperiet deſcripta in locis, *De Conſtantia. de Fortitudine. de Generoſitate, De Martyrio.*

Circa Basilium ægrotantem effuſa erat tota civitas, jacturam hanc ægerrimè ferens, & diſceſſum perinde, ac tyrannidem accuſans, ejuſque animam non ſecus, ac ſi retineri, atque vel manibus, vel precibus cogi poſſet, arripere ſtudens. Dementes enim eos calamitas reddebat, nec quiſquam erat, qui non aliquam vitæ ſuæ partem, ſi fieri poſſet, illius vitæ addere eſſet paratus. Sed victi ſunt (oportebat enim eum hominem deprehendi) & Baſilius his poſtremis verbis habitis, In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum, animam lætus exhalavit, non ante tamen quàm ſacroſancta doctrina eos, qui aderant, nonnihil inſtruxiſſet, extremiſque alloquiis meliores effeciſset. *Nazian. orat. 20.*

Greg. Nazianzenus, ſeipſum quibuſdam lineis veluti depingens, paulò ante migrationem ad Chriſtum, *altera ad Cledonium epiſtola* dicebat. Si quis nos joco ſcribere, vel docere arbitratur, non autem coactos, atque unitatem, & concordiam adurgentes: in eamque omni ſtudio incumbentes, velim hoc ſciat, ſe malè exiſtimare, nec deſiderii noſtri ſcopum aſſequi, quibus pace nec eſt quicquam, nec fuit unquam antiquius, quemadmodum res ipſæ fidem faciunt: quamvis ea, quæ ſectarii adversùm nos faciunt, & deſignant, concordiam prorſus excludant.

D. Hieronymus, de morte ſua, & de noviſſimo die cogitans dicere ſolebat: Ego cunctis peccatorum ſordibus inquinatus, diebus, ac noctibus opperior cum tremore reddere noviſſimum quadrantem. Attamen quia Dominus ſolvit compeditos, & ſuper humilem, ac trementem ad verba ſua requieſcit, forſitan & mihi in ſcelerum ſepulchro jacenti, dicet, N. veni foras. Quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco. Sive enim comedo, ſive bibo, ſive aliquid facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis ſonare in auribus meis, Surgite mortui, venite ad judicium. *In epiſt.*

D. Augustinus paulò ante ex hac vita diſceſſum, Africanarum provinciarum, & Eccleſiarum videns vaſtationes, & diſſipationes, lachrymis continuis iram Dei deprecabatur, & ſe inter publica mala cujuſdam ſapientis ſententia conſolabatur dicentis, Non erit magnus, magnum putans quod cadunt ligna, & lapides, & moriuntur mortales. Hippone, cujus erat Epiſcopus, ab hoſtibus crudeliſſimis obſeſſa, alii Epiſcopi vicinarum Eccleſiarum illic confugientes, ſuper his infortuniis cum Auguſtino ſæpiſſime colloquebantur, & Dei tremenda judicia præ oculis poſita conſiderabant, dicentes Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum. Hæc refert *Poſſidon. in vita Aug. c. 8.*

Idem: Dies fermè decem antequam exiret de corpore poſtulavit à præſentibus, nequis ad eum ingrederetur, niſi iis tantùm horis, quibus medici ad inſpiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Omni ille tempore orationi vacabat, verbum Dei uſque ad ipſam extremam ſuam ægritudinem imprætermiſsè, alacriter, fortiter, ſana mente, ſanoque conſilio in Eccleſia prædicavit. Membris omnibus ſui corporis incolumis integro aſpectu, atque aditu, amicis adſtantibus, ac cum eo orantibus, obdormivit in pace cum patribus ſuis, annos natus 70. in Epiſcopatu vixit an. 46. Teſtamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Chriſti non habuit. *Poſ. in vita Aug. c. 40.*

B. Chrysostomus, paulò ante mortem exul ad Innocentium ſcripſit, Nos tertium jam annum in exilio verſamur, expoſiti peſtilentiæ, fami, bello, continuis incurſionibus, ſolitudini inenarrabili, quotidianæ morti, & Iſauricis gladiis. Moriens dixit, Gloria tibi, Domine, de rebus omnibus. *Nicephor. l. 13. c. 37.*

Cùm D. Martinus. ☞ *Vide ſuprà Morientium dicta.*

D. Fulgentius, cùm repentè incidiſſet in corporalis infirmitatis acerrimas paſſiones: ubi ſeptuaginta propè diebus ægritudine fatigatus eſt, hoc ſolùm frequenter dicebat: Domine, da mihi modò hìc patientiam, poſteà indulgentiam.

☞ *Quære de eo fusè, ſuprà in Loco de Mortis meditatione, Præparatione, &c.*

Ambrosius ait, Theodoſium dicere conſueviſſe: Magis ſe gaudere, quod membrum Eccleſiæ Dei eſſet, quàm quòd in terris regnaret.

De Theodoſio: Dilexi, ait Ambroſius, virum, qui cùm corpore ſolveretur, magis de Eccleſiarum ſtatu, quàm de ſuis periculis angebatur.

D. Gregorius Magnus, non multò ante obitum, ſuam conditionem deſcribens in *Epiſtola ad Ruſticanam patriciam*: Me (inquit) ita amaritudo animi, & aſſidua exacerbatio, atque podagræ moleſtia afficit, ut corpus meum tanquam in ſepulchro ſiccatum ſit: unde fit, ut jam raro de lecto ſurgere valeam.

Item, *ad eandem*. Ego in tanto gemitu, & occupationibus vivo, ut ad dies, quos ago, perveniſſe me pœniteat, ſolaque mihi in conſolatione ſit mortis expectatio. Unde peto, ut pro me orare debeatis, quatenus de hoc carnis carcere citiùs educar, ne tantis laboribus diutius torquear.

Anastasio Antiocheno: Rogo ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam à malis omnibus pro veſtra interceſſione tueatur, & citius me de tot procellis hujus tempeſtatis eripiat, atque in æternæ quietis litore perducat.

Beda Venerabilis, Anno Chriſti 734. quo die Aſcenſionis Chriſti memoria celebratur, inter diſcipulorum manus Dei laudes canens, & orans, Deo, qui dederat, ſpiritum reddidit, magno ſui deſiderio apud omnes relicto. Inter diſcipulos vir ſanctus ſæpe illud Apoſtoli uſurpare ſolebat. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, quod faciebat, ut eos à ſumno animæ excitaret, & ad Dei timorem provocaret.

Eoſdem quoque ad diligentiam hortabatur his verbis, Diſcite feſtinanter, quandiù ſum vobiſcum futurus.

Ægrotans identidem, illud repetebat, Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Item & illud Ambroſii, Non ſic vixi, ut me pudeat inter vos vivere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. *Auct. vitæ, primo tomo operum ejuſd. præfixæ.*

Anselmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, cùm Dominica die palmarum lethali morbo decumberet, unus ex diſcipulis dixit ei, Domine pater, ut nobis intelligi datur, ad Paſchalem Domini tui curiam relicto ſeculo vadis. Reſpondit, Equidem ſi voluntas ejus in hoc eſt, voluntati ejus non contradico. Verùm ſi mallet me adhuc inter vos ſaltem tamdiù manere, donec quæſtionem, quam de animæ origine mente revolvo, abſolvere poſſim, gratioſius acciperem: eo quòd neſcio utrùm aliquis eam me defuncto ſit abſoluturus. *Auctor. vitæ l. 2.*

☞ *Vide ſuprà Tit. A morientibus commendata. de S. Hilarione, & infrà Mors religioſa.*

D. Bernardus Clarevallenſis ægrotans, ſuos fratres admonuit, ut in tuto divinæ clementiæ ſinu, ſpei anchoram, fideique ſuæ per inconvulſibilem charitatem firmius radicarent. Addidit: Quia non arbitror me magna vobis religionis relinquere poſſe exempla, tria vobis imitanda commendo, quæ in ſtadio quo cucurri, me pro poſſibilitate mea memini obſervaſſe. 1. Minus ſenſui meo quàm alterius credidi, 2. læſus de lædente vindictam non expetivi. 3. nemini ſcandalum facere volui: & ſi quando incidit, ſedavi ut potui.

Idem. Exitu jam imminente dictavit epiſtolam ad Arnaldum Bonæ vallis Abbatem, quæ ſancti illius viri cor piis omnibus exhibet.

Pedes, inquit, & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere ſolet. Et in his omnibus ne quid lateat amicum de ſtatu amici ſolicitum, ſecundum interiorem hominem (ut minus ſapiens dico) dico, promptus eſt in carne infima: Orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempeſtivum jam exitum non differat, ſed cuſtodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis: ut is, qui inſidiatur, invenire non poſſit, ubi figat dentem, & vulnus infligat. *Aut. vit. l. 5. c. 2.*

Gerardus D. Bernardi Clarevallenſis Abbatis frater conjunctiſſimus, & procurator fidiſſimus, in ipſo agone erupit in illud Davidicum, Laudate Dominum de cœlis, laudate Dominum in excelſis: ita ut ſtupentes omnes Bernardum vocarent. Jam cùm extrema Pſalmi clara voce compleviſſet, addidit: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Et ſæpiùs repetito eodem ſermone converſo ad Bernardum hilari vultu: Quanta (inquit) dignatio Dei, patrem hominum eſſe: & quanta hominum gloria, Dei filios eſſe, & hæredes! Nam ſi filii, & hæredes. Intentus gloriæ fratris propriæ ſuæ obliviſceretur miſeriæ Bernardus, ut ipſemet teſtatur. *Serm. 26. ſuper Cant.* ☞ *Vide ſuprà Oratio à migrantibus facta.*

Retulerunt viri graves, & fide digniſſimi, D. Joannem Gerſon (qui temporibus Conſtantienſis Concilii floruit) ante obitus ſui diem, in ea urbe, in qua tum habitabat, multos collegiſſe puerulos, quorum tanquam præceptor erat, quos quotidiè in templum adduxit: clauſiſque undique oſtiis, ipſe in medio eorum ſtans, jubebat, ut verbis gallicis poſt ſe in hunc modum loqueretur, *Mon Dieu, mon Createur, ayez pitiè de voſtre pavure ſerviteur, Jean Gerſon*: hoc eſt, Deus meus, Creator meus miſerere pauperis famuli tui Joannis Gerſon. *Ad fin. 4. tom. operis ejuſd.*

Ferdinandus, Aſturum, & Caſtellæ rex, finem vitæ imminere ſentiens, in templum deferri voluit, ubi impoſito capiti diademate, & indutus regalibus indumentis, coram adſtantibus clamavit ad Dominum voce clara: Tua eſt potentia, tuum eſt regnum, Domine: tu es ſuper omnes reges, tuo imperio omnia ſunt ſubjecta. Quod te donante accepi, reſtituo tibi regnum: tantùm animam meam in æterna luce jubeas collocari. His dictis exutus regalibus indumentis, indutus cilicio, & conſperſus cinere, duobus diebus in pœnitentia, atque lachrymis ſupervixit. *Rod. Tolet. l. 9. rerum Hiſp. c. 14.* ☞ *Vide eamdem penè hiſt. infrà. Tit. Mors religioſa. §. Chriſtian.*

Caroli Regis Aragoniæ, & Sciliæ, oratio ante mortem ſcitè, & piè dicta continens ita refertur à Lucio Marinæo Siculo. Mox reſpirans, & jam recluſis oculis omnes, qui aderant aſpiciens, O vanas, inquit, hominum cogitationes! ò miſeros omnes, qui ad principatus aſpirant! qui divitias, opes, & nimios honores affectant! ò felicem pauperum conditionem, & illorum ſecuram vitam, atque beatam, qui panem comedunt cum ſudore ſui vultus, qui vivunt labore manuum ſuarum! Nam mihi miſero, quid regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores ſcilicet magnos, & multa corporis, & animæ pericula, nec unquam ætate tam longa potuit mihi dies aliquot videre bonos! ò me miſerum, & infelicem, qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco! qui vitam certè vixiſſem multò meliorem, ſi non rex, ſed pauperis agricultor fuiſſem! Hæc magno cum dolore animi referebat, Alphonſi fratris, ut arbitror, recordatus, atque ſecutus exemplum, qui Neapoli olim moriens eadem protuliſſe verba memoratur. Hæc *Marinæus, de reb. Hiſp. lib. 18. prope finem.* Alio loco eadem Joanni, non Carolo adſcribuntur.

Petrus Terralius, cognomine Bajardus, ſub Franciſco I. Galliarum rege dux belli clariſſimus, de Hiſpanis præclara trophæa ſæpiùs retulit variis Italiæ locis. Tandem in quodam prælio, dum munere ſibi commiſſo ſtrenuè fungitur, hoſtibus ſemel, & iterùm fortiter repulſis, ſub latere dextro glande plumbea ictus corruit, ac ſeſe circa vicinam quercum proſternens, Chriſtum Optimum Maximum obteſtatus eſt, ſe circumdaret, ſe complecteretur, ſe tueretur: purgataque præteritorum memoria animam ad ſe euntem exciperet, ablueret ſua gratia ſordes, parceret miſero, vultu placido intueretur, ſeu ſervum, ſeu reum mallet: gratia ſe filium adoptatum ab eo, culpa reum factum, vinceret gratia culpam: ut divina clementia majore in ſcelere creſceret, malè quidem tot annis nomen divinum cognitum, parum abeſſe quin gratia ſuperaretur ſceleribus: ſe tamen excuſſo dæmonum jugo, nihil non beneficio ſanguinis effuſi, patrocinioque Chriſti optimi Maximi ſperare. Semianimiſque adhuc venienti Borbonio (qui Galliæ partibus relictis ad Carolum V. defecerat) eumque conſolanti, nihil aliud reſpondit. Quam ſerò: &, Ubinam fides, Here? *Arnold. Ferronus, de reb. geſtis Francorum lib. 7.*

☞ *Plura peti poſſent ex Tit. ſuperioribus.*

Nicolaus Tolentinus, ſex totis ante obitum menſibus, paulò ante nocturnas preces, ſingulis noctibus ſuaviſſimum Angelorum concentum audivit, qui illi quaſi prægustationem futuræ vitæ præbebat. Itaque quo illum ejus vitæ deſiderio arſiſſe credimus, ad cujus jucunditatem tam jucundè invitabatur; Declaravit ipſe, qui frequenter illud Apoſtoli dictum in ore habebat: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Quin idem etiam, cùm reſolutionis tempus inſtaret, in extremo ſpiritu voces fundere cœpit lætantis, atque geſtientis: cujus inuſitati gaudii cùm fratres, qui aderant, cauſam quæſiſſent, attonitus ille, vixque ſui compos præ magnitudine rei; Dominus meus, Jeſus Chriſtus, inquit, ſanctiſſimæ Matri ſuæ, & Auguſtino patri noſtro innixus, dicit mihi, Euge ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui: in quibus verbis expiravit. *In vita ejus cap. 11. & 13. apud Laur. Surd. tom. 5. Septemb. 10.*

Arnulfus Sueſſionis Epiſcopus vigeſima die poſtquam diſcubuit, qui tum erat feria ſexta, ſub noctis medio, cella, in qua jacebat, mirabili tremore, & horribili fragore tertiò concuſſa eſt, ita ut à fundamentis everti videretur, & monachi cum famulis, qui apud illum excubabant, intolerabili perculſi timore, cellæque ruinam formidantes aufugere percuperent. At illos vir Dei verbis conſolans, hortabatur, ut ſe quieti darent, certè nihil ipſos incommodi eſſe paſſuros. Ait autem ad eum Everolphus presbyter: Domine mi, terra contremiſcit, cella colliditur, oſtium à me jam tertio obſeratum pateſcit, turbarum murmure locus circumſonat, & quomodonam inter tot terrores nos poſſumus ſomnum capere? Reſpondit vir Dei. Ne paveas dilectè frater, ſunt enim hæc omnia divinæ majeſtatis ſigna. Porrò poſt paululùm dicam tibi, quæ vis cellam quaſſaverit, & hunc terræ motum effecerit. Proximo inde ſabbatho ſentiens mortem imminere, dixit fratribus: Parate jam funeri neceſſaria; nam ſub noctis initium decedam, ut mihi Dominus, cui pro viribus ſervire conatus ſum, heſterna nocte revelavit, cùm ille terræ motus, & aeris concuſſio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quaſſatione beatus Petrus Apoſtolus ad me venit, ſignificans mihi peccata remiſſa, & vitæ januam patere: aderat beatorum frequens cœtus laudes divinas continenter modulantium. Sub altera quaſſatione cum multis angelicis ſpiritibus S. Michael me inviſit, pollicens ſe duce me ad beatam vitam ingreſſurum. Tertia concuſſione adfuit Domina noſtra veræ miſericordiæ Mater multis ſtipata ſanctarum virginum agminibus, benigniſſima me voce certiorem efficiens de anima mea inter Aſſumptionis ejus gaudia in cœlos transferenda. *Ex Joan. Liſiardo ejus ſucceſſ. Bar. 4. 11. An. 1087. 24. 25.*

De Nurſii Presbyteri in morte conſolatione, ☞ *Vide infrà. Tit. viſiones morientium.*

Cum apud Viennam in Eccleſia ante altare, die quadam raptus in ecſtaſi, precibus inſiſterem, pſalmumque, Deus, in adjutorium, &c. cantarem, terrorum agmina innumerabilia militum ante me præterire, ac versùs Lotharingiam tendere agnovi. Qui cùm omnes pertranſirent, intuitus ſum quendam illorum Æthiopi conſimilem, retrò lento gradu alios inſequentem: Cui dixi: Quò tenditis; Aquiſgranum, inquit, ad Caroli mortem tendimus, ut ejus ſpiritum ad tartara rapiamus, Cui dixi, Adjuro te per nomen Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti, ut peracto itinere tuæ diſpoſitionis ad me reverti non renuas. Tunc modicum commorati, vix expleto pſalmo eodem ordine ad me redierunt, & dixi noviſſimo, cui priùs locutus fueram: Quid egiſtis? & dæmon: Gallicianus, inquit, ſine capite, tot ac tantos lapides, ac ligna baſilicarum ſuarum in ſtatera ſuſpendit, quòd magis appenderunt bona, quàm ejus mala, & idcircò ejus animam à nobis abſtulit. Et his dictis dæmon evanuit. Itaque intellexi, eadem die Carolum ex hac luce migraſſe, & ſubſidiis B. Jacobi, cujus Eccleſias multas ædificaverat, ad ſuperna meritò regna ſubvectum. Tranſactis poſt ejus mortem diebus quindecim, per nuncium didici, ab ipſo tempore, quo ab Hiſpania receſſerat, uſque ad diem mortis ſuæ illum aſſiduè ægrotaſſe, ac pro ſalute quorumdam defunctorum eadem die, qua ipſi martyrium pro divino amore ſuſceperunt, ſcilicet decimo ſexto Kalendas Julii duodecim millia unciarum argenti, totidemque talenta aurea, veſtes etiam, & cibaria annuatim in omni vita pauperibus ſolitum, erogaſſe, totidemque pſalteria, miſſaſque, & vigilias cantari feciſſe, atque eadem die, & hora, qua viſionem ego videram, ſcilicet quinto Kalendas Februarii, an. Dominicæ incarnationis 814. ab hac vita migraſſe, & apud Aquiſgranum in B. Mariæ baſilica rotunda, quam ipſe ædificaverat, honorifice ſepultum illum fuiſſe. *Io. Turpin. Archiep. Rhemen. in hiſt. de vita Caroli Magni, cap. 32.*

Cùm Amon ille Ægyptius decederet, animam ejus Antonius dicitur in cœlum deduci vidiſſe, divinis virtutibus eam comitantibus, venerationeque, & ſtipatione multa,

atque etiam ineffabili quodam hymnorum carmine proſequentibus. Et cùm, qui tum cum Antonio erant, per conſternationem in aerem ſuſpiciente, & rei tantæ faciem admirante, cauſam ab eo requirerent: ille viſum id haudquaquam occultum habuit. Et verba ejus re ipſa ſunt confirmata. Poſtquam enim à Sceti multi venere, & tempus obitus Amon indicavere, illud ipſum tempus eſſe cognitum eſt: cùm Antonius ſtupore correptus in cœlos ſuſpexit. Uterque ſanè meritò beatus habendus: Amon quidem, quòd ſic è vita præſenti ſit ſubductus: Antonius verò, quòd eum Deus viſione ea ſit dignatus, cùm quidem inter utriuſque habitationis locum magnum intervallum, atque dierum aliquot intercederet iter. *Niceph.Call.lib.8.hiſt.Eccl.cap.*41.

Fertur fuiſſe Arveni Puella quædam religioſa, atque devota Deo: quæ in rure commanens, quò ab urbica populatione ſummota liberius dignas Deo laudum hoſtias exhiberet, quotidiè jejuniis, & orationibus inſiſtebat. Factum eſt igitur, ut migrans ab hoc mundo, ad baſilicam oppidi, cauſa ſepeliendi, portaretur. Verùm ubi levato feretro corpus per viam ferri cœpiſſet, adveniens grex magnus columbarum ſuper eam volare cœpit, atque huc illuc volitando ſequi, quo hæc à proximis ferebatur. Qua in baſilicam delegata, grex totus ſuper tectum ædis ipſius viſus eſt conſcendiſſe: Illaque ſepulta, ad cœlos evolavere columbæ. Unde non meritò Georgia nuncupata eſt, quæ ſic exercuit mentem cultura ſpiritali, ut adeptio virginitatis ſexageſimi fructus proventu, egrediens de ſeculo cœleſtibus honoraretur exequiis. *Greg. de Glor. Confeſſ. cap.*34. *Ex eo Baron. tom.6. an.*480.

☞ *Conſule Locum de Martyrio, Magnanimitate, Conſtantia.*

* MORS IMPIORUM HORRENDA,
Exempla S. Scripturæ.

Cain, qui occidit fratrem ſuum, occiſus eſt à Lamech, *Geneſ.*4.

Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulphur, & ignem de cœlo, & ſubvertit quinque civitates, deteſtabili peccato fœtentes. *Gen.*19.

Sichem filius Emor, qui oppreſſit Dinam filiam Jacob, interfectus eſt à filiis Jacob, & omnis civitatis populus. *Geneſ.*34.

Aquæ mari rubri cooperuerunt currus, & equites cunctos exercitus Pharaonis, nec unus quidem remanſit. Et quidem ſatis juſtè, cujus cor non potuit emolliri, corpus ejus ne aquis totaliter mergeretur. *Exod.*14.

Nadab, & Abihu filii Aaron, offerentes ignem alienum coram Domino, devorati ſunt ab igne Domini, & mortui. *Levit.*10.

Præcepto domini filii Iſrael eduxerunt Blaſphemum extra caſtra, ac lapidibus obruerunt. *Levit.*14.

Chore, Dathan, & Abiron, ac eorum complices Moyſi rebellantes, deſcenderunt vivi in infernum, operti humo. *Num.*16.

Alii etiam murmurantes, & diverſa commitentes peccata, variis mortibus interierunt in deſerto: ita quòd de ſexcentis millibus hominum pugnatorum duo tantùm terram promiſſionis intraverunt. *Exod.*32. *Num.* 11. 14.15. *Deut.*1.

Quoniam Acham tulit furtivè de anathemate Jericho; lapidavit eum omnis Iſrael, & cuncta, quæ ejus erant, igne conſumpta ſunt. *Joſue* 7.

Comprehenderunt filii Iſrael Adonibezech cæſis ſummitatibus manuum ejus, ac pedum (ita enim fecerat ipſe ſeptuaginta regibus) adduxerunt in Jeruſalem, & ibi mortuus eſt. *Judic.*1.

Tulit Jahel uxor Aber Cinæi clavum tabernaculi, & defixit in cerebrum Siſaræ, qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt. *Iudic.*4.

Si Zebee, & Salmana ſervaſſent fratres Gedeonis, pepercisſet eis Gedeon, & quia eos occiderunt, & ipſi à Gedeone occiſi fuerunt. *Iudic.*8.

Una Mulier jacens ſuper caput Abimelech fragmen molæ, confregit cerebrum ejus, qui vocavit armigerum ſuum, & juſſit ſe interfici: & reddidit ei dominus malum, quod fecerat, interficiens ſeptuaginta fratres ſuos. *Iudic.*9.

Cùm audiſſet Heli Arcam domini eſſe captam, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt. 1.*Reg.*4.

Superbum Goliath, & blaſphemum, David puer inermi non habens uſum armorum gladio illius proprio interfecit. 1.*Reg.* 17.

Saul quadam iniqua invidia motus, & perſecutus fuerat David: Tandem arripuit gladium ſuum irruens ſuper eum, & mortuus eſt. 1.*Reg.*31.

Adoleſcens, qui dixit ſe Saul occidiſſe, jubente David, occiſus eſt, cùm putabat proſpera nuntiare. 2.*Reg.*1.

Simile accidit duobus Latronibus, qui caput Isboſeth filii Saul tulerunt: Primogenitus David oppreſſit ſororem ſuam Thamar, & paulò poſt occiſus eſt jubente Abſalon fratre ſuo, cùm comederet cum eo. 2. *Reg.*13.

Videns Achitophel, quòd non fuiſſet acceptum conſilium ſuum, quod dederat contra David, abiit in domum ſuam, & ſuſpendio interiit. 2.*Reg.*17.

Libidine dominandi Abſalon multùm afflixit patrem ſuum David, ſed antequam aſſecutus eſſet propoſitum, ſuſpenſus fuit inter cœlum, & terram. 2.*Reg.*18.

Seba filius Bochri concitavit populum contra David, & fugiens in Abelam civitatem, ubi putabat habere refugium, & auxilium, decapitatus fuit ibidem. 2.*Reg.*20.

Quamvis Joab fuiſſet miles ſtrenuus, & fidelis, quia tamen occidit duos viros proditoriè, juſſus eſt occidi, monente Salomone. 3.*Reg.*2.

Regi Iſrael peſſimo Hela, rebellavit Zambri contra dominum, & occidit eum, qui poſt ſeptem dies ingreſſus eſt regium thalamum, & ſuccendit ſe cum ipſa domo regia. 3.*Reg.*16.

Vulneratus in bello Achab mortuus eſt veſperi, & linxerunt canes ſanguinem ejus in eodem loco, in quo linxerunt ſanguinem Naboth, qui diſſimulante ipſo Achab, cùm liberare deberet, & poſſet, lapidatus, & mortuus eſt. 3.*Reg.*21.22.

Cùm aſcenderet Eliſeus in civitatem Bethel, quidam Pueri malè eruditi illudebant ei, egreſſique ſunt duo urſi, & dilaceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4.*Reg.*2.

Unus de duobus, qui aderant cum rege Iſrael, noluit credere verbis Eliſei, futuram abundantiam prædicentis, in craſtino verò conculcavit eum turba hominum, ad ſpolia concurrentium, & mortuus eſt. 4.*Reg.*7.

Benadab rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Iſrael, fuit demum ab Azahel ſervo ſtrangulatus. 4.*Reg.*8.

Videns Jehu Jezabel impiam, quæ fuerat multorum cauſa malorum, juſſit eam præcipitari deorſum, & fuit ita equorum ungulis conculcata, quæ licèt eſſet filia regis, non fuit tradita ſepulturæ. Tantùm enim calvaria capitis inventa fuit. *Ibid. cap.*9.

Athalia mater Ochoziæ interfecit omne ſemen regium, ut poſſet regnare ſuper populum, & poſtmodum turpiter interfecta fuit, juſſu Jojadæ ſacerdotis. 4.*Reg.*11.

Rex Juda malus, & ingratus Joas, qui fecit Zachariam filium Jojadæ ſacerdotis crudeliter lapidari, poſteà interfectus eſt à ſervis ſuis. 2.*Reg.*12. 2.*Par.*14.

Rex Aſſyriorum Sennacherib ſuperbiſſimus, & in Deum cœli blaſphemus; poſtquàm de terra Juda confuſus aufugit, à filiis ſuis interfectus fuit. 4.*Reg.*19.

Sedechias rex Juda malus apud Deum, & homines, comprehenſus eſt fugiens. Ante cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi, deinde exoculatus fuit, & ductus in Babylonem, & ibidem miſerabiliter mortuus. 4.*Reg.ult. Ier.* 39. & 52.

Multas terras cepit, & deſtruxit Holofernes, tandem dormiens inebriatus, per manum mulieris decapitatus fuit. *Iudith.* 13.

Superbiſſimus Aman, qui faciebat ſe hominibus adorari, ſuſpenſus eſt in patibulo, quod ipſe paraverat Mardochæo. *Eſther.*7.

Balthassar rex Babylonis, non eſt correctus per exemplum Nabuchodonoſor patris ſui, qui ante eum fuerat mutatus in beſtiam. Et in convivio vidit ſcripturam in pariete: Manè, Thecel, Phares, Eademque nocte interfectus eſt, & regnum ejus ad Medos, & Perſas translatum. *Daniel.*4. & 5.

Accuſatores Danielis, jubente Dario rege Perſarum, miſſi ſunt in lacum leonum, & à leonibus devorati, *Dan.*6. & 14.

Poſtquàm Alexander decidit in lectum, dicitur, quòd cognovit, quia moreretur: quaſi anteà mortis memoriam, ſeu notitiam non haberet. 1. *Macb.*1.

Percuſſus fuit Alcimus proditor, & diſſolutus eſt paralyſi, nec ultrà potuit loqui, & mandare de domo ſua: & mortuus eſt cum tormento magno. 1. *Macb.*9.

Contriſtatus rex Antiochus de hoc, quòd Andronicus injuſtè occiderat Oniam ſummum ſacerdotem, occidi in eodem loco juſſit Andronicum, in quo nimiam impietatem commiſerat. 2. *Macb.*4.

Multis ſacrilegiis à Lyſimacho commiſſis in templo, congregata eſt multitudo adversùs eum, & ipſum ſecus ærarium interfecerunt. *Eodem.*

Jason impius, qui fratrem proprium captivaverat, & multos de patria ſua expulerat, peregrè petiit: & inſepultus, & illamentatus abjectus fuit. 2. *Macb.*5.

Antiochus, qui multorum torſerat viſcera, paſſus durum dolorem viſcerum, miſerabili obitu in montibus vita defunctus eſt. *Ibid.*

Menelaus, qui malitioſè obtinuit modico tempore principatum, de alta turri fuit præcipitatus in aggeſtum cineris. 2.*Macb.*13.

Homo ille Dives, cujus ager uberes fructus attulit, cùm cogitaret deſtruere horrea ſua, & facere majora, plus credebat habere de vita: ait autem illi Dominus: Stulte, hac nocte peribis. *Luc.*12.

Terribile eſt valde illud exemplum de divite famoſo, Epulone, qui mortuus eſt, & ſepultus, atque in infernum delatus. *Luc.*16.

Ananias, & uxor ejus Saphira, quia fraudaverunt de precio agri venditi, ad increpationem Petri terribiliter expirarunt. *Act.*5.

Herodes ſedens pro tribunali, & veſtitus veſte regali concionabatur ad populum: populus autem exclamabat Dei voce, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quòd non dediſſet honorem Deo. Et conſumptus vermibus expiravit. *Act.* 12.

Historica.

Hunnericus Vandalorum Rex Genſerici filius, & ſucceſſor primordio regni, ut habet ſubtilitas barbarorum, cœpit mitius, & moderatius agere, & maximè circa religionem noſtram: ut etiam ubi anteà ſub Genſerico Rege præjudicatum fuerat, ne ſpirituales fierent conventus, conventicula concurrerent populorum. Et ut ſe religioſum oſtenderet, ſtatuit ſollicitiùs requirendos hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit, plurimos autem diſtraxit navibus tranſmarinis: quos penè omnes Manichæos ſuæ religionis invenit, & præcipuè presbyteros, & diaconos Arianæ hæreſeos. Unde magis erubeſcens, ampliùs in illos exarſit. De quibus repertus eſt unus nomine Clementianus monachus illorum, ſcriptum habens in femore, Manichæus diſcipulus Chriſti Jeſu. Propter quod magis laudabilior memoratus Rex videbatur: in uno diſplicens, quia cupiditati inſatiabili vehementius inhiabat, & provincias regni ſui variis calumniis, atque indictionibus onerabat, ut de illo præcipuè diceretur, Rex egens, magnus eſt calumniator. Sed mente mutata factus eſt deterior: plurimum enim ſæviit in Catholicos. Interim excitatus tanquam dormiens Dominus, vermibus tradidit conſumendum eum, qui robuſtorum militum agminibus vallabatur. Anno enim Dom. 484. cum de proſtrata fide Catholica amens ille putaret parandum ſibi triumphum, divinam cogitur experiri vindictam, & mortem miſerrimam. De quo ſic idem *Victor*: Tenuit ſceleratiſſimus Hunnericus dominationem regni annis ſeptem, menſibus decem, meritorum ſuorum mortem conſummans: nam putrefactum, & ebulliens vermibus, non corpus, ſed partes corporis videbantur eſſe ſepultæ. His addit. *Greg.Turon.l.2.de Geſtis Franc.c.*3. quæ ſequuntur: Tunc & ſol teter apparuit, ita ut vix ab eo pars, vel tertia eluceret: credo namque pro tantis ſceleribus, & effuſione ſanguinis innocentis. Hunnericus verò poſt tantùm facinus arreptus à dæmone, qui diù de Sanctorum ſanguine paſtus fuerat, propriis ſe morſibus laniabat: in quo etiam cruciatu vitam indignam juſta morte finivit. *Et lib.*2. & 3. *Victor. Utic. Baron. tom.*6. *an.*476. & 484.

De funeſto conjugis Guntheramni Francorum Regis obitu ita ſcribit Gregorius Turonenſis: His diebus Auſtregildis Guntheramni Principis Regina ab hoc mundo conſumpta eſt. Sed priuſquam, nequam ſpiritum exhalaret, cernens, quòd evadere non poſſet, alta trahens ſuſpiria, voluit lethi ſui habere participes, agens, ut in exequiis ejus aliorum funera plangerentur. Fertur enim Herodiano more Regem petiiſſe dicens: Adhuc ſpes vivendi fuerat, ſi non inter iniquorum medicorum manus incidiſſem: nam potiones ab illis acceptæ mihi vi abſtulerunt vitam, & fecerunt me hanc lucem velociter perdere. Et ideò ne mors mea inulta prætereat: quæſo, & cum juramenti interpoſitione conjuro, ut cùm ab hac luce diſceſſero, ſtatim ipſi gladio trucidentur; ut ſicut ego ampliùs vivere non queo, ita nec illi poſt meum obitum glorientur, ſed ſit unus dolor noſtris pariter, & eorum amicis. Hæc effata, infelicem animam tradidit. Rex verò peracto ex more juſtitio, oppreſſus iniquæ conjugis juramento, implevit præceptum iniquitatis: nam duos medicos, qui ei ſtudium adhibuerant, gladio feriri præcepit. *Greg. Turon. l.*5. *Hiſt. Franc. c.*39. & *Baron. to.*7. *an.*583.

Funeſta quoque morte ex hac vita abreptus eſt Nantinus Comes Engoliſmenſis: qui cùm in ſancta loca, Deique miniſtros mala multa patraſſet, ultimo ipſe elogio, quid pateretur ob ſcelera perpetrata, teſtatur Gregorius. Poſt paucos menſes à morbo Nantinus Comes corripitur: Qui nimia exuſtus febre, clamavit, dicens: Heu, heu, ab Heraclio Antiſtite exuror: ab illo crucior: ab illo ad judicium vocor. Cognoſco facinus; reminiſcor injuſtè injurias me intuliſſe Pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Hæc cùm maxima in febre clamaret, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit, indubia relinquens veſtigia hoc ei ad ultionem beati viri veniſſe: nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares cum prunis ſuperpoſitum fuiſſe combuſtum. Ergo omnes hæc obſtupeſcant, admirentur, & metuant, ne inferant injurias ſacerdotibus: quia ultor eſt Dominus ſervorum ſuorum ſperantium in ſe. *Idem Greg. ibid. cap.* 36. & *Baron. ibid.*

Rem, fratres clariſſimi, refero, quam ſi intentè audire vult charitas veſtra, ex conſideratione illius vehementer inſtruitur. Quidam vir nobilis in Valeria provincia nomine Chryſaorius fuit, quem lingua ruſtica populus Chryſorium vocabat, vir valdè idoneus, ſed tantùm plenus vitiis, quantum rebus: ſuperbia tumidus, carnis ſuæ voluptatibus ſubditus, in acquirendis rebus avaritiæ facibus accenſus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreviſſet, ſicut à religioſo viro quodam, qui nunc ſupereſt, propinquo illius didici, corporis languore percuſſus eſt. Qui ad extremum veniens, eadem hora, qua jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros, & nigerrimos ſpiritus coram ſe aſſiſtere, & vehementer imminere, ut ad inferni clauſtra ſe raperent. Cœpit tremere, palleſcere, ſudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque ſuum nomine Maximum, quem ipſe jam monachus monachum vidi, nimiis, & turbatis clamoribus vocare, dicens: Maximè curre, Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me ſuſcipe. Turbatus mox Maximus affuit, lugens, & perſtrepens familia convenit. Eos autem, quos ille inſiſtentes ſibi graviter tolerabat, ipſi malignos ſpiritus videre non poterant, ſed eorum præſentiam in confuſione, in pallore, ac tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pavore autem terræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo. Jacebat in ſiniſtro latere, aſpectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderant. Cùmque conſtrictus nimis relaxari ſe non poſſe deſperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: Inducias, vel uſque manè, inducias, vel uſque manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipſis ſuis vocibus habitaculo ſuæ carnis evulſus eſt. De quo nimirum conſtat, quia pro nobis iſta, non pro ſe viderit, ut ejus viſio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter expectat. Nam illi tetros ſpiritus ante mortem vidiſſe, & inducias petiiſſe, quid profuit, qui eaſdem inducias petiit, non accepit? Nos ergo, fratres chariſſimi, nunc ſollicitè iſta cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cùm jam compellimur de corpore exire. *D. Greg. hom.* 12. & *lib.* 4. *Dialog. cap.*38.

Ad extremos (inquit Bolſecus) Calvini annos veniamus, quàm variis antè obitum morbis afflictus, conſumptuſque fuerit. Scribit Beza, phthyſi, colica, aſthmate, ſeu reſpirandi difficultate, calculo, podagra, hæmorrhoidibus vexatum fuiſſe, præter ſibi familiarem hemicraniam, & acres capitis dolores, quibus plerumque torquebatur. En tibi varia, & diverſa, quæ ſimul in ipſum ingruerunt morborum genera, & cùm quibus valdè miſerè per multos annos, immò verò uſque dum ſpiritum exhalaret, conflictatus fuit, certum, & expreſſum divinæ adversùs eum iræ indicium, ac teſtimonium. Quod ſi quis multos etiam ſanctos homines, dum in hac vita eſſent, dira multa, & in corpore, & in bonis perpeſſos alleget, & de Job ſatis cognitum omnibus exemplum proferat; Reſpondebo, ſic Deo viſum fuiſſe, ut tanquam illuſtre patientiæ exemplum futurus, in bonis hic, atque in corpore affligeretur, ſed ad fiduciam in nobis ſtabiliendam confirmandamque, nunquam ſe juſtum, ſibi ex animo, ac verè fidentem deſerturum, omnibus eundem Job calamitatibus liberatum, omni felicitate, & multis rurſus, magniſque muneribus cumulaſſe? Quod *S.Jacob c.*5. Epiſtolæ ſuæ canonicæ pulchrè in hæc verba explicavit: Sufferentiam,